PRAXIS PAROCHIALIS

Ex varijs Synodis, SS. Canonibus, Decisionibus Apostolicis DD.

COLLECTA.

Nihil ex sensu proprio

Per R. P. ADALBERTUM TYLKOWSKI

Ex libris *S. I. T.* M. Fr. Laurent. Czepanski

Cum facultate Superiorum.

VARSAVIÆ

Typis Collegij SCHOLARUM PIARUM

Anno Domini 1693.

Aug. 86

JLLUSTRISSIMO
Ac REVERENDISSIMO D.
D. HIERONYMO
De Magna Chrząſtow
WIERZBOWSKI
DEI & Apoſtolicæ
Sedis Gratiâ
Epiſcopo Feſſenſi

Suffraganeo Præpoſito, Vicario in Spiritualibus Generali Poſnanienſi, Cuſtodi Varſavienſi, Domino Patrono Colendiſſimo.

P*Oſtquam plura & varia in uſum Eccleſiaſticorum ſcripſi,*

supererat ut brevem Praxim Parochialem per modum Manualis luci darem, quam non decet me offerre alteri, quàm Tibi ILLUSTRISSIME Reverendissime Præsul. Moles quidē Tuis indigna manibus, verùm materia benigno potest placere oculo, quia Tui obiectum est judicij; non numero alia, quæ me ad offerendum impulerunt. Est in Te magnitudo generis ab optimis Avis & Atavis exornata; est scientia sacra, & hoc scriptum ex illa procedit: adest zelus & super Minores Pastores vigilantia Pastoralis: est vitæ san-

ctitas

ctitas, neq; in hac ſcriptione ad aliud reſpexi. Curatorum perfectio eſt forma gregis; quam Tu pro virili urges. Eſt modeſtia, qualis poterat expectari à quopiam ex SS. Patribus, & procedit in exemplar. Faueat & promoveat DEVS has optimæ dotes animæ: procedat virtus de virtute in virtutem. Addat annos quibus ſunt digna Tua merita: quæ per ampliores exaggeret Dignitates. ita voveo.*

Cliens humillimus
Adalbertus Tylkowſki
S. I.

PRAXIS PAROCHIALIS

1. QUi recipit Parochiam examinet ſeipſum in his punctis. An cum requiſitis conditionibus Ordines acceperit, quas requirunt SS. Canones & Conſtitutiones Apoſtolicæ. Unde videat. An ſit promotus in ætate requiſita, vel ante illam, vel non confirmatus, vel extra quatuor tempora; aut alia præſcripta. An ſervaverit interſtitia præſcripta inter unum & alium ordinem, an omiſſo aliquo ordine, an non facto priori Ordinis exercitio, an debitam intentionem habuerit?

2. An habuerit ſufficientem proviſionem, vel patrimonium? an verò ficto titulo, vel fictâ proviſione acceſſerit? an ſine dimiſſorijs proprij à non proprio Epiſcopo ſit ordinatus, vel exiſtens in

aliqua censura, in his enim casibus debebit quærere dispensationem cum justa causa, ne ex peccato in peccatum ruat & pereat: an illi Beneficium sit collatum cum requisitis à Tridentino, & in suo mense Collator contulit. An priùs examen subijt, quàm possessionem adijt, an statim Beneficium curatum, quod priùs habuit, dimisit. An fecit professionem fidei intra duos menses ab adita possessione, aliter enim non faceret fructus suos. An obtinuerit sine dolo & suspicione de simonia. Si aliquod impedimentum deprehendes, consule doctos viros: & si ita fuerit, procures ocultè novam provisionem.

3 *Hæc collecta sunt ex Constit: Sixti V. contra Clericos malè ordinatos. incip. Sanctum & salutare: & Constit. Pij II. cum ex sacrâ ex Trid. Sess. 23. cap. 5. & seq. 9. & sess. 24. cap. 18. Et Const. Pij V. In conferendis cap 32. & Trid. sess. 24. cap. 1. de Reform. & Constit. Greg.* XIII.

4. Valde conveniens est ut in aditu suæ Parochiæ exercitia sacra & confessionem generalem faciat ex tota vita, ut sic in se amorem Dei accendat, sinè quo

non potest benè oves suas regere. & eo ipso crescet in humilitate, & discet alienos defectus patienter sustinere. Sit orationi addictus. Per hanc S. Severus Sulpitius evertit idolorum templum, & Parocho incumbit evertere idola luxuriæ, avaritiæ &c. Quæ aliquando sunt in cordibus suorum; per hanc datur bonum exemplum.

5. Caveat avaritiam, Christus cum severitate de templo ejecit animalia, quæ Sacerdotum avaritia in illo vendebat, ut docet S. Aug. tractat 10. in Ioan. quia sunt vocati in sortem Domini, debēt à mundanis separari. Et Matth. 6. *Vbi est thesaurus vester, ibi & cor vestrum.* Claritatem extinguit avaritia, quia cor indurat, & ad rapiendum aliena inclinat. Debet etiam ab Affinibus suis cor avellere, quia illi absorbent ea quæ in plures poterant dividi, & acuit sollicitudinem congregandi pecuniam, illos promovendo. Ita erravit Heli Reg. 1. cap. 2. Trid. sess. 25. cap. 1. de reform. *Omninò verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ Consanguineos, familiaresq; suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibe-*

bibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, Consanguineis donent, sed si pauperes sunt, ijs ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent eorum causa, imò quàm maximè potest, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga Fratres, Nepotes, Propinquosq́, carnis affectum, unde malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant.

6. Meminerit Curatus quod dixit Ecclesiasticus cap. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* explicat hoc S. Greg. Moral. 19. cap. 14. *cujus vita despicitur, fieri vix potest, ut etiam prædicatio non contemnatur.*

7. Debet habere sollicitudinē de suis ovibus, ut possit dicere cum Paulo 2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalisatur, & ego non uror!* Unde vigilare debet in omnibus, laborare, in sollicitudine esse, speculatorem agere, sicut bonus Pastor die ac nocte pervigilat. Sicut Gen. 35. dicebat Jacob Labano. *Idcirco viginti annis fui tecum, oves tuæ & capræ tuæ steriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam, quidquid furtim peribat, à me exigebas, die no-*

ctuq́

ctuq; æstu urebar, fugiebatq; somnus ab oculis meis.

8. Examinet Curatus conscientiam suam præsertim circa hæc. Qualem fructum hâc die fecerit in animabus, & in quo defecit in administratione Sacramẽtorum. 2. Si aliquem in aliquo scandalisavit. 3 Si abiq; necessitate à sua abfuit Parochia. 4. Si distulit juvare suos. 5. Si non implevit quod illi à Superiore ordinatum. 6. Si neglexit corrigere familiares & domesticos. Jllud etiam consideret quod dixit DEUS per Ezechielem cap. 34. *Væ Pastoribus Israel qui ponebant semetipsos. Nonne greges à Pastoribus pascuntur? lac comedebatis & lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.*

9. Probent in se exemplar bonorum operum, alioqui ut scripsit S. Bern. ad Abb. Epist. 201. *Subsannabit te sapiens ut pigrum illum cui labor sit manum porrigere ad os. Arguet te & Apostolus dicens. Tu qui alios doces, te ipsum non doces.* Circa vestium formam, colorem, extant passim Synodi. S. Hieron. ad Nepotian. *Ornatus ut sordes pari modo fugiendi sunt.*

10. Mo-

10. Modum conversandi præscribit S. Paulus cap. 2. Tito. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile; ut is qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum de nobis dicere.* Caveat nimiam familiaritatem cum Parochianis, ne vilescat, dum nãq; prædicat agit vices Apostoli, dum absolvit, agit vices Christi: decet ergo ut nisi excellentia agat & audiat, ne officium ejus propter mores ejus contemnatur. Sit ad omnes indifferens, & neminem ostendat se contemnere, aut alicujus errores approbare. Hieron. in cap. 2. Epist. ad Titum ita monet. *Videte ne per amorem sanctum fiat non sancta dilectio, quæ vos in gehennam trahat.*

11. Ut otium evitet, diei horas sic distribuat, ut cuilibet certum assignet munus: nec immerito dixit Plato, *Ordo est anima rerum.* Et licet una vel altera turbetur propter emergentes casus, adhuc facilè poterit redire ad ordinem. Somnus nimius est contrarius vigilantiæ Pastoris. Somno expergefactus meditetur, deinde horas Canonicas recitet, tum

tum audiat Confessiones, si adfuerint Pænitentes, tum celebret Missam ita, ut omnes Parochiani possint illi interesse, aut saltem pars præcipua. Postquam domum redierit, faciat examen conscientiæ, & sic consequenter.

12. Scientiam habeat necessariam pro suo officio, quia dictum est. Oseæ 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te nè sacerdotio fungaris mihi:* quare S. Paulus 1. Timoth. 4. *Attende lectioni, exhortationi doctrinæ:* de hoc S. LEO Papa Epist. 22, *Si in laicis intolerabilis est ignorantia, quantò magis in ijs, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec veniâ.* Et licet possit aliquando ad doctiorem recurrere, dantur tamen multi casus qui id non patiuntur propter circumstantias; quare Parochus debet optimè nosse casus conscientiæ, de restitutione bonorum & honorum proximi, & similibus, & de his antè consulat.

13. Libros pro suo negotio habeat necessarios ut sunt, Breviariū, Missale, Biblia, Agenda. Bulla Cænæ Domini, Concilium Tridentinum, Epistola Pastoralis Macieiovij, Vitas Sanctorum, Cōcionatores, Casistas. Non numero hîc libros

bros meos, quos in utilitatem Ecclesiæ impressi, Instituat subinde Conferentias casuum cum aliquo vicino docto Sacerdote. Exercitia Spiritualia quotannis faciat ut Synodus proxima Posnaniensis statuit.

14. Domum habeat quantum fieri potest vicinam Ecclesiæ ita ordinatam, ut hospites illâ viâ possint colligere animã illius esse benè ordinatam, sint imagines sanctæ, locus honestus sed non deliciosus, vasculum cum aqua benedicta, oratorium cum aliquot libris Spiritualibus: pro armis habeat crebras orationes, Recreatio ejus poterit esse, cultura horti, pomarij: pictura, & Musica honesta, non autem chartifolia, venatio, aut crebra apud laicos convivia. Nã S. Hieron. Epist. ad Nepot. scripsit *Facilè contemnitur Clericus, qui sæpiùs vocatus ad prandium, non recusat.*

15. Familiam curet habere modestam, nam ut dicit S. Aug. apud Chartag. de vita Curat c. 12. Domus Parochi *quasi in speculo posita est, & quidquid ibi fit, id sibi omnes arbitrantur licere.* Caveat ne præter Matrem & sorores sint domi, nam ut idem

Aug.

Aug. *Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt.* Imò Hieron. Epiſt. 4. ad Ruſt. *Quantò vilior eſt earum conditio, tantò facilius eſt earum ruina.* Et hoc ipſum etiam in infirmitate obſervandum monet Epi. ad Nepot. *Ægrotanti tibi quilibet Frater Sanctus aſſiſtat, & germana, vel Mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quodſi hujuscemodi non fuerint conſanguinitatis, caſtimoniæq; perſonæ, multos anus nutrit Eccleſia, quæ & officiũ præbeant, & beneficiũ accipiant, miniſtrãdo; Infirmitas quoque tuæ fructum habeat eleemoſinæ. iScio quosdam convaluiſſe corpore, & animo ægrotare cæpiſſe, periculosè tibi miniſtrat, cujus vultum frequenter attendis.* In reliquo appono ſententiam S. Hieron. apud Cartag. de vit. Curat. art. 61. *Quid tibi cum mulieribus o Sacerdos, qui ad Altare Dei famularis, & in loco ejus ſtas? Væ tibi Sacerdos, qui ijsdem labijs oſcularis Filium Hominis, quibus paulò antè oſculatus es filiam veneris. O Iuda oſculo Filium Hominis tradis!* Sacer canon dicit 3. 8. d. c. ignor. & c. ſi in laicis: *Majus præjudicium DEVS in mundo non patitur, quàm à Sacerdotibus ſcientiâ, & bonâ vitâ carentibus.* Quare hoc? reſpondet

Aug.

Aug. apud Carrag. l. c. ar. 59. *Omnis qui*
malè vivit coram eis quibus Præpositus est.
Jmpuris DEUS mortem minatur. Deu.
7. *Anima polluta quæ ederat de carnibus ho-*
stiæ pacificorum, peribit de populis suis.
SS. Patres minas quæ sunt apud Prophe-
tas docent, quia cadũt supra impuros Sa-
cerdotes. Am. 2. *Ecce ego stridebo super*
vos, sicut stridet plaustrum novum onustum
fæno. Oseæ 13, *Occurram eis quasi ursa ra-*
ptis catulis, disrumpam interiora eorum, &
consumam eos ut leo. Ezech. 13. *Ecce ego*
complosi manus meas super maculas vestras,
& conflabo vos, & succendam in igne furo-
ris mei, & conflabimini in medio ejus, sicut
conflatur argentum in medio fornacis, & re-
quiescam. Malach. 2. *Et nunc ad vos ver-*
bum istud, o Sacerdotes, qui polluistis domum
meam: ecce projiciam vobis brachium, &
dispergam super vultum vestrum stercus sole-
mnitatum vestrarum & assumet vos secum.
Canones ãtiqui sic habẽt d. c. Presbyteri.
Presbyter si fornicationem fecerit, quanquàm
secundùm Canones Apostolorum deponi de-
beat, attamen juxta authoritatem Beati SYL-
VESTRI Papæ, si in vitio non permanserit,
sed

sed suâ spontè adjecit ut resurgat, decem annos hoc modo pœniteat. Tribus mensibus remotus à cæteris Fratribus, pane & aquâ à vespera in vesperam utatur. Diebus autem Dominicis, ac præcipuis festis, modico vino ac piscibus atq; leguminibus utatur absq; pane & sanguine, ac ovis & caseo. Sacco quoq; indutus humo inhæreat die ac nocte, vigilet, misericordiam Dei imploret. Finitis tribus continuis mensibus exeat, tamen in publico non procedat, ne grex illius in eo scandalum patiatur. Postea aliquantisper viribus resumptis, unum & dimidium expleat in pane & aqua, exceptis Dominicis diebus, & præcipuis festivitatibus, in quibus vino & carnibus, sanguine, ovis, & caseo juxta canonicam mensuram poterit uti. Finito autem primo anno & dimidio; Corporis & Sãguinis Domini, ne induresc at particeps fiat, & ad pacem veniat, id est, Fratribus reconcilietur, ac Psalmos inter eos in choro ultimus canat: nec tamen ad locum accedat altaris, sed juxta B Clementis vocem minora gestet officia. Deinde verò usq; ad expletionem septimi anni, omni tempore, exceptis Paschalibus diebus, in unaquaq; hebdomada, in pane & per tres legitimas ferias. Expleto circulo

culo septimi anni, si Fratres apud quos pænituerit, ejus condignam pænitentiam laudaverint, ipse ad pristinũ honorem redeat.

16. Diligentem curam circa suos sensus adhibeat: quia ut advertit S. Isid. lib. 2. de summo bono c. 39. *Dæmones scientes pulchritudinem animæ esse castitatem, & per hanc hominem Angelos meritis, è quibus illi lapsi sunt coæquare: livore percussi invidiæ, injiciunt per sensus corporis opus, desideriumq; libidinis, quatenus è cælestibus dejectam deorsum animam pertrahant, secumq; quos vicerint gloriantes ad tartara ducant.* De oculis dicit S. Aug. *Ne dicatis vos habere animos pudicos, quoniam impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* Caveat non solùm à detractione, sed etiam à levibus facetiis insuper. Eccl. 11. *De ea re quæ te non molestat, ne certes:* & 2. Tom. 2. *Servum Domini non oportet litigare, sed mãsuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt.* tum S. Bern. lib. 2. de consid. cap. 13. *Ad cachinnos moveris, fædiùs moves, consecrasti os tuum Evangelio. Talibus aperire illicitum, assuescere sacrilegum est. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt*

quirunt decentius, non nugas professò, nec fabulas. Sciat etiam de verbis otiosis sibi reddendam rationem, ut est Matth: 12. hoc est de dictis ad nullum bonum finem. Unde Bern. 5. de consid. *Vtilis semper custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat.*

17. De residentia Pastoris ita dicit Trident. sess. 6. cap. 1. de reform. *Attendentes sibi & universo gregi, in quo Spiritus S: posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent ut ministerium suum impleant, implere autem illud se nunquam posse sciant, si greges sibi commisos mercenariorum more deserant, atq; ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo Iudice requirendus, custodiæ minimè incumbant, cùm certissimum sit non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & Pastor nescit:* & contra non residentes statuit pænam sess. 23. cap. 1. *Si quis autem (quod utiq; nunquam eveniat) contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit Sacrosancta Synodus, præter alias pænas adversùs non residentes sub Paulo III. impositas, & innovatas, ac mortalis pec-*

cati reum quem incurrent, nam pro ratâ temporis absentiæ, fructus suos non facere, nec tutâ conscientiâ, etiam aliâ declaratione non sequutâ, illos sibi detinere posse.

18. *Quoad Missam attinet*, consideret quis est ille qui offert, quid offert, cui, quo fine, seipsum etiam consideret. Est Minister publicus Ecclesiæ, refert in se personam Christi, qui principaliter offert, est membrum Christi qui participat & recipit hostiam consecratam DEO. ut Minister Ecclesiæ facit, actum quo colitur supremè DEUS, & efficitur mediator inter Deum & homines, ut illos Deo reconciliet. Quare debes hoc agere liber ab omni peccato cum magna reverentia, quia hujus officij possent fructum impedire peccata. Inquantùm repræsentat personam Christi debet eniti ad hoc ut se illi reddat similem, de quo Paulus Hebr. 3. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, semper à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Ille renovat memoriam passionis & mortis Christi in suo habitu at ceremonijs. Ut est membrum Christi meminerit quod dictum Sacerdotibus legis veteris qui solùm umbram

bram hujus mysterij tractabant. *Omnis homo qui accesserit ad ea quæ conservata sunt, & quæ obtulerunt Filij Isràel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Supra quæ verba S. Basilius. *Tales minæ propositæ sunt contra eos, qui simpliciter accedunt ad ea, quæ ab hominibus sanctificata sunt. Quid verò quis dixerit contra eum, qui in tantum ac tale mysterium audet? quantò enim hic plùs* (illo templo Salomonis) *et juxta ipsam Domini vocem, tantò gravius & terribilius est in inquinamento animæ audere contingere Corpus Christi, quàm attingere arietes & tauros.*

19. Non celebret ergo Sacerdos Missã cõsci⁹ sibi peccati, nisi priùs confessus, si possit, vel si id non possit, conteratur & postea quamprimùm confiteatur. Non celebret in Ecclesia non benedicta, nec in Oratorijs ab Episcopo non usitatis, nec sine licentia in eo altari in quo Episcopus dixit Missam hodie; ut infra: neq; (excepta die Natalis Christi) ante auroram, neq; post meridiem, quia id prohibent Canones. Pro eadem Missa non accipiat plura integra stipendia, quia opposita sententia est damnata, & ab eandem

dem causam non accipiat maius stipendium substituendo alterũ, qui pro minori celebret. Applicet autem totum valorẽ Missæ secundùm quod obligatus est accepto salario, vel sicut ordinabit Episcopus. Si in certo loco est obligatus celebrare, in illo celebret. Non obliget se ad celebrandum quotidie, quia vix satisfaciet. Sed obligatur celebrare pro populo applicando illi totum valorem, sive per se, sive per alium, & hoc docet Soto sub mortali, sed hîc videnda praxis diæceseos, & decisio Visitatoris.

20. Non publicet *nova miracula* inconsulto Episcopo, nec ob hanc rationem novas imponat imagines. Reliquias non exponat, quæ non sunt ab Episcopo approbatæ. Nihil novi in concione commendet sine licentia. Non differat sacra pro quibus stipem accipit. nullas mercaturas in templo permittat, cùm Christus etiam ea quæ ad Sacrificium erant utilia eiecerit ex templo adiectis increpationibus Marci. 11. *Scriptum est quia Domus mea domus orationis, vos autem fecistis illam speluncam latronum*, & additur: *non sinebat ut quisquam transferret vas*

vas per templum. Idẽ est de tumultu, clamore: non se reclinet populus super altaria, super Baptisterium, non sedeat obverso tergo altari, aut in confessionalibus, aut admittantur canes, sclopeta aut contractus, aut iudicia maximè criminalia, etiam in cæmeterio. idem de frumentis, officinis, ludis: pauperes non discurrant per templum mendicando, sed id faciant ante portam, ijsq; attendatur ut die Festo Sacrum audiant.

21. Sciat quousq; se extendat immunitas Ecclesiastica, & illi servandæ seriò invigilet, conservet omnia bona Ecclesiæ, eorumq; habeat inventarium, idem est de instrumentis iuridicis, de contractibus. Curet hæc corrupta describi & authenticari: limites recognoscat, ædificia visitet. Non alienet quidquam Ecclesiasticum inscio Episcopo. Recuperet amissa iuxta suum iuramentum, reparet corrupta. Si novam Ecclesiam ædificet, id faciat cum consensu Episcopi, & illi domum vicinam extruat, & primo in loco crucem erigat: ut est *cap. nemo de consecr. disc.* 1. Porticus ante templum seruiat pro prævijs baptismi, pro absolutio-

ne publica: minimis defectibus occurrat antequam sequatur majus damnum: in pavimento non sit aliqua imago sacra, vel Crux. Ecclesiæ claves apud se reponat loco certo. Sit locus mundus, telæ araneæ frequenter mundentur.

22. *Majus altare* habeat cancellos ad minimum pedes duodecim distantes ut commodè possint cæremoniæ in Missa solenni expediri, & ad illos acclinari communicantes, in illisq; possit mappa extendi, & penes illos possint genu flectere, et altare sit elevatũ: in altari sit Crucifixus in medio ita ut emineat, neq; mappæ lineæ sint eædẽ in altari, sed omnes crebro mutentur: sit præterea aliquis pannus quo iste mappæ & contra pulverem tegantur. Altare portatile, si altare fixũ non est consecratum, ponat sub his mappis ita ut possit Sacerdos cognoscere, ubi sit portatile, quod debet esse tantum, ut capiat calicem cum patena, & sine illo celebrare est mortale, indispensabile. Amittit consecrationem si ex sua theca excidat, si ita sit fractum ut in neutra parte possit consistere simul calix cum patena. Duæ sint pixides pro com-

communione, altera pro ſanis, altera pro infirmis, & mundiſſimo inſiſtant corporali quod etiam ſubinde mutetur. Sera ſit optima ciborij.

23. *Reliquiæ* non poſſunt publicè in templo poni niſi ab Epiſcopo recognitæ, nec in modiciſſima quantitate, nec nudas oſculo populi exhibeat. *De imaginibus* Sacris legat Trident. ſeſſ. 25. de invoc. & renovat. cap. mandat S. Synodus, & ita Parochianos inſtruat. Nulla nova inuſitata imago in Eccleſia pingatur vel appendatur ſine ſcitu Epiſcopi, pictura etiam non contineat aliquam falſam doctrinam, vel repugnantē S. Scripturæ vel traditionibus, vel quid incertum, profanum, dedecenter nudum, nec animalia: novæ ſint ab Epiſcopo benedictæ imagines. Qui etiam inſcriptiones novas relegat. *Lampas* ante Venerabile ſemper ardeat. Laici cum clero non miſceantur, ſic S. Ambros. non admiſit Theodoſium Imper. ad locum Cleri. Fæminæ ſint à viris ſeorſim, nihil ponatur in altari niſi quod ſpectat ad Sacrificium: campanula ſit propè altare. Neceſſaria præter calicem & veſtimenta ſint ad Miſſam, Imago,

go, Crucifixus, duo candelabra, antependium, tres mappæ, portatile si non est consecratum Altare, pulvillus pro Missali.

24. *Baptisterium* semper sit clausum, & aqua quæ defluit è baptisatorum capitibus in vas singulare defluat. Sitq; iste fons ad cornu Evangelij si non sit in seperato sacello, & ad illum per tres gradus ascendant. Candela sit pro pauperibus, qui illam afferre non possunt; vas sit cum sale, & linteis ad abstergendum oleum, in vicino habeantur stola, & rituale, & regestrum baptisatorum, atramentarium cum calamo, in libro scribantur nomina Patris & Matris, & quod sint legitimi coniuges: ibidem serventur Sacra Olea: attendat, ne fontis aqua corrumpatur; vnde vas mundet frequenter; habeat vas quo infundat aquam baptisando, & illud omni mense mundet, & salem mutet attendendo ut sit siccus, propterea illum exsiccet, idem & de linteolis. Olea serventur sub clavi. Habeat vas quod non serviat nisi ad lavanda corporalia & purificatoria, calices, & alia vasa Sacra. Aqua benedicta mutabitur singulis diebus

bus octo, & vas mundabitur, sal benedictus in loco sicco servabitur: cathedra mundabitur quando populus non est in templo. Svadetur ut fœminæ in altero confessionali quàm viri confiteantur, vel saltem non eodem tempore.

25. Habeat in confessionali Bullam cænæ & casus reservatos, cantus sit devotus & ordinatus ad Missæ misterium ut Trid. sess. 23. præscribit, organa silent in Adventu exceptâ Dominica tertia: in Quadragesima, excepto Lætare & Cæna Domini, in Adventu, in vigilijs. Claves apud se habeat. Campanæ sint benedictæ, & benedictio libro inscribatur. Sint inæquales ut distinguatur pro quo pulsantur, & campanile semper clausum, pulsetur cum advenit visitator, & in tempestate, iuxta Concil. Colonien. &c.

26. Nemo *sepeliatur* sub altari, aut eius gradibus aut intra cancellos, in pariete templi, hoc enim prohibuit PIUS V. nec sepulchrum è terra emineat, nec in eo sit Crux, aut alicuius Sancti imago, & alicubi prohibetur inscriptio nisi priùs ab Episcopo revisa: Cæmeterium sit cinctum lapidibus, & Crux in eo erecta gran-

grandis: poterit in eo esse aliquod sacellum. In illo quandoq; pro defunctis celebretur, sit ossarium. nulla in cæmeteris plantetur arbor, nec herbæ sinantur crescere, sit clausum.

27. Sacristia ad orientem sit, & habeat fenestras oppositas ut perflari possit. Sit in ea lavatorium, sit mundum. Armarium sit unum pro calicibus, alterum pro casulis, tertium pro linteis, omnia sint elevata à terra, & mensa ex qua Sacerdotes sumant vestes sacras, separatim serventur corporalia & purificatoria. Sit locus pro reliquijs. Sit imago Sacra, sit locus pro Missalibus & libris choro necessarijs: pro libris Baptismi, Matrimonij, Confirmationis, pro instrumentis juridicis, contractibus, & alijs similibus rebus. Crux in altari sit in medio candelabrorum, sit alia Crux pro processionibus & servetur decenter: candelabra sæpè mundentur, & illud quod portat Crucem Paschalem, ut & triangalere pro septimana sancta, in quo statui possint candelæ quindecem, & unipedi insistat, in gradibus altaris statuatur ad cornu epistolæ. Canonis tabula ponatur ut à

Sacer-

Sacerdote aſpici poſſit, & ſi corrupta ſit comburatur, & cinis in ſacrarium mittatur, poſt Miſſam reponatur ſub panno quo tegitur altare.

28. *Mappæ* altaris debent eſſe lineæ, & frequenter mutari, & una non debet duplicari. Sed debent eſſe diverſæ, fimbrias poſſunt habere coloratas ad terrã deſcendentes. Conſvetudo fuit de qua Zacharias Papa, ut in antependio, vel Crux, vel Patronus Templi exprimeretur: & ad nullum alium uſum adhibeatur, etiam altaria aliquo panno tegantur. Humerale habeat cruces ſupra & infra, & funiculos ut illis circa ſe circumdictis poſſit ſe Sacerdos in pectore ligare, & frequenter mutetur. Alba ſit de lino non anguſtà inſtar ſacci, manicæ in fine ſtrictiores, Cingulum JNNOCENTIUS III. vult eſſe lineum. Stola aliâs dicta Oratium, & à S. Damaſo palla limoſtina, debet per crucem ducta pertingere ad genua, Crucem in medio habeat. Manipulus ſit latus ut ſtola, habeat Crucem. Caſula habeat ligulam per quam alligari poſſit ne cadat, & ut circa collum poſſit apparere ſtola. Dalmati-

maticam non induant nisi qui sunt in Sacris Ordinibus.

29. *Calix* saltem ab intus sit deauratus, sed quoties inauratio mutatur debet de novo consecrari: lavetur frequenter etiam cum smegmate & statim siccetur, & aqua in sacrarium projiciatur. S. CLEMENS de hoc sic scripsit ad S. Iacobum: *Calix ad perferendum Sanguinem Domini paratus cũ tota mysterij mũditia parãdus est, ne non bene tustus Calix Domino fiat peccatũ Diacono offerenti.* Si abruperit violentè pedem à Calice, execrabit illum quia formam amittit. Patena debet habere margines subtiles, ut micas possit colligere, debet esse intus aliquomodo cava iuxta amplitudinem calicis: non adhibeatur nisi ad Sacrum: nec ista duo in cista serventur supra quam aliquis sedeat. Corporale sit mundum, nec sit acu pictum cum serico, nisi fortè in marginibus: debet totum portatile tegere, sit quadratum, in formam Crucis complicatur, peccabit graviter adhibendo corporale aut purificatorium valdè immundum: vel si valdè rarum, ut particula possit per illud penetrare: servetur in bursa eius colo-

coloris quem tempus requirit, nec bursa utatur ad eleemosynas. Nec purificatorio quod sit pictum serico vel re alia, habeat Crucem: frequenter mutetur, nec sit lacerum & ne illud inficiat non adhibeat vinum rubrum: cùm hæc lavantur, prima & secunda aqua proijciatur in sacrarium, & si reddantur inutilia, exurantur, & cinis in sacrarium mittatur.

30. Urceoli crebrò laventur: sit pelvis in quam decidat aqua dum lavantur manus. Missale habeat præ oculis ne erret, idq; novum à CLEMENTE VIII. recognitum: nec ponat in terra ut possit calcari, habeat indicem sericeum, saltem duodecem radiorum: si utitur pulpito in eo ponat pulvillum, ac tandem Missale. Monstrantia sit apertilis ut possit hostia cum sua lunula imponi: ac postquàm est exempta, ante purificationem in Missa supra patenam bene lunula excutiatur ne fortè in illa lateat aliqua mica hostiæ. Pixides pro S. Eucharistia sint intus deauratæ: & quæ est pro infirmis habeat velum coloris juxta tempus. Si in bursa defert, eam de collo appendat. Pixis in quo servantur hostiæ

ſtiæ nonSacræ habeat in fundo vel linteolum, vel chartam albam, deſuper premantur plumbeâ tabellâ ne incurventur: farina pro illis ſit recens, alba, nullâ re permixta: ſit pro illis ſcutella, & cochleari novo cum farina ſubigitur, nec ulli alicui uſui ſeruiāt: mūdūferrū cum imagine crucifixi, ferrū,aliud pro majoribus & minoribus rotundandis hoſtijs quod huic ſoli uſui ſerviat. Corporale benedictum tamdiu eſt tale, quamdiu integrum, idem de calice & patena vel non inaurata de novo. Curet cum magna reverentia tractari vaſa ſacra neq; à laicis; magis etiam lapidem altaris: Corporalia, Purificatoria lavet Diaconus atq; Præsbyter 5. *Nemo* 2. *de confeſſ. d.* 1. Veſtes profanæ poſſunt converti in ſacras, dummodò formam mutent. Amittunt benedictionem veſtes ſacræ, quando ita corrumpuntur, ut fiant ineptæ ad uſus ſacros. Si albæ nova manica aſſuatur, debet tota de novo benedici, idem de cingulo rupto, ſi nulla pars ejus ad cingendum ſufficiat. Lacera aut valde immunda ornamenta conſtituunt reū peccati gravis ſi hoc fiat per craſſam negligentiam: ſi au-

ſi autem ſit materia levis & deſit plena advertentia, erit veniale. Oportet vt ſit fidele inventarium vtenſilium. nullum oratorium in ſua Parochia extrui ſinat abſq; ſuo ſcitu.

31. Omni ſtudio curet ne Parochiani errent in fide nevè quis eos in illa ſubvertat: attendat ad ſuperſtitiones: qui annuam confeſſionem non fecerunt, qui licentioſè vivunt, ſi quid faciat contra fidem vel legat libros hæreticos. qui ſcit hoc certò, niſi intra certos dies revelet Prælato, incurrit excommunicationem iam latam à Leone X. & hoc populo explicet. Attendat ad periuria, blaſphemias, maledictiones, ne iſta ex conſvetudine dicãt. quia illam deponere debent. advertat ne in ſchola quid erroneum doceatur, imò Magiſtri debent priùs profiteri fidem, ſciat qui ſunt libri prohibiti.

32. Omni momento ſanctè vivat ut poſſit ſanctè adminiſtrare Sacramenta. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne fortè percutiat eos.* Si ſibi conſcius mortalis, priùs quàm miniſtret Sacramenta debet confiteri, ſed ante Miſſam ſi Sacerdos non deſit, debet confiteri.

teri. Omni horâ cùm evocatur, ſit expeditus nihil differendo, nullā cholerā oſtendendo quòd ſit vocatus, ſive ſit tempus oportunū, ſive importunū & de hoc ſæpiùs admoneat populū ſvaviter, ut illū evocet qvando indiguerit Sacramentis, & ſubinde conſideret quàm ſit hoc ſanctum opus, vt ſe ad illud excitet. Rubricas bene & Agenda relegat, vt ſit in hoc puncto expeditior, & nihilominùs cùm miniſtrat habeat illa præ oculis, & curet intelligere quid illæ cæremoniæ ſignificent. Non ſubſtituat ſibi ullum Sacerdotem, niſi approbatum ab Epiſcopo, vel in gravi neceſſitate, & ſit vitæ bonæ, qui etiam nihil accipiat, & omnia neceſſaria habeat, ſimul miniſtret in ſuperpelliceo & ſtola. cum vadit ad infirmum, faciat id cum omni gravitate & devotione. daturus Sacramenta, de illis inſtruat, vt docet Trident. non obliviſcatur luminum quæ debent deferri, abſint excommunicati publici.

33. Non decet vt *Baptiſmus* ante ortum ſolis vel poſt occaſum miniſtretur, niſi adſit neceſſitas, vel licentia, ſine hac non baptiſet infantem alterius Parochiæ, ſi de-

ſi deficiat oleum Sanctum, poterit illi admiſceri aliud, ſed benedictum, ſed in minori quantitate, ſed propter hunc caſum aſſervatur copioſius oleum in Cathedrali. Pro Baptiſmo habeat ſimul modicum goſſypij vel telæ, & vas pro abluendis digitis, & alterum lineum pannum pro abſtergendis, medullam panis pro extergendo oleo, lineum pro ſiccando infantis capite. ſalem mundum, vas pro infundenda aqua ſupra caput infantis. Infideles qvando veniunt ad Baptiſmum ſint priùs benè in fide inſtructi. Non differat Baptiſmum Infantium. Cum è longinquo portant infantem, ſimul ferant aqvam in caſum ſi ille interim moreretur vt baptiſari poſſit ab illis. Nomina non imponat inhoneſta aut Paganorum, ſed Sanctorum qvos imitentur & à qvibus iuventur. Si fons Baptiſmalis deficiat, mundato vaſe, de novo benedicat, & reliqvam priorem aqvam proijciat in Sacrarium. Si aqva congelavit, calefiat, nec opus erit nova benedictione. Doceat, ſi accidat Baptiſare domi, vt maiorem capitis partem aqvâ perfundant formam proferendo. ſi aqva nimis frigida, vtatur

calidiore. Si monstrum afferatur, consulatur Officialis, sed forma semper proferatur dum aqva funditur. accurrat autem quamprimùm ad Baptisandum ne interea moriatur Infans, & consideret qvod faciat ex filio iræ filium DEI. Si Baptisatus domi, cæremonias suppleat ante portam Ecclesiæ, inhalet etiam discretè, inscribat statim libro ne differendo obliviscatur nomen baptisantis, Baptisati, Parentum legitimè coniunctorum, Patrinorum, & iste liber sit sub clavi, ne fiat fraus aliqva, neq; ex illo ducat attestationem in causa criminali ne incurrat irregularitatem. moneantur Parentes ne prolem ad lectum accipiant cum periculo suffocationis.

34. Iuxta Trident, non admittantur *in Patrinos* nec duo viri, nec duæ mulieres, sed vnus vir & vna mulier etiamsi sint coniuges. Non admittantur Infideles, Hæretici, Excommunicati, Interdicti, Delinqventes publici, Infames, stulti, minores annis 14. qvi non communicârunt in Paschate, qui actu faciunt pænitentiam publicam, Monachi & Monachæ, imo conveniens vt nec incogniti & va-

ga-

gabundi. In Baptiſmo Parochus non det infantem Patri aut Matri eius; moneantur Patrini officij ſui, quòd illum puerum inſtruant in lege & fide Sancta, ſi in hoc defecerint ejus Parentes.

35. *Communio annua* ſive Paſchalis debet eſſe in Paſchate, & ita ne impediat alia officia, & expedit vt viri ſeorſim à fæminis communicent, vel non ſimul, cancelli cooperiantur lineo albo, & duo candelabra illis ſuperponantur aut circumferantur, particulæ non maneant diſcopertæ. Alter Sacerdos vel Diaconus ſupponat patenam pro micis qvando datur Communio. ablutio ſi danda, non in calice, ſed in alio vaſe fiat. Informetur autem populus ante, de Myſterio & reverentiâ illi debita, de micis remanentibus in ore & dentibus, ſervetur die Cænæ Domini Sacramentum pro die ſeqventi, connotentur qui in Paſcha communicant. Præmittatur: *Confiteor &c. Indulgentiam.* cum oſtenditur communicans dicatur. *Ecce Agnus &c.* tum pectus percutiendo. *Domine non ſum &c,* Publicis peccatoribus negatur communio. S. Chryſoſt. ad pop. Antioch. hom. 60. *Hæc ad Communi-*

cantes dico, & ad vos Ministrantes, nam & ad hos sermonem convertere necessarium est, vt multo cum studio hæc dona distribuatis, non parva vobis imminet ultio, si quem cuiuspiam conscium nequitiæ, huius mensæ participem esse concedatis, ne sangvis eius de manibus vestris exqviratur, sive quis Dux militiæ sit, sive Præfectus, sive Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe. maiorem illo potestatem habes. Propterea vos Deus hoc insignivit honore, vt tália discernatis, hæc vestra dignitas est, hoc securitas, hoc vestra corona: non vt albam & splendentem circumeatis induti. (eo tempore in albis incedebant Sacerdotes.) Publici peccatores antequam communicent publicam agant pænitentiam, tales sunt usurarij publici, concubinarij, meretrices, blasphematores & similes. præmonendi ergo sunt ne accedant, ne postea cum pudore omittantur, occultis peccatoribus, si accedant, debet dari communio. Si publicus ferat testimonium a suo Confessario quòd sit absolutus, si tamen Parochus non videt in illo ullam emendationem, non debet illum communicare, unde instruat de hoc tempestivè, & nonisi bonis concedat

cedat ut alibi pro Paſchate communicent; nulli autem neget ob aliam cauſam communionem niſi ob peccata publica, quia circa alia poteſt aliter procedere.

35. Infirmo non det communionem per modum viatici, hoc eſt, non ieiuno, niſi proximo morti & in eodem morbo niſi ſemel, niſi ſit morb⁹ longus & nova adſit neceſſitas, det verò quoties petetur ieiuno. Quando non poteſt ſæpiùs accedere infirmū ferat ſtatim ſecum S. Oleum, & ungat ſtatim poſt Communionem, non ferat ad eum qui vult adorare, ſed ſumere non poteſt. ablutionē digitorum aut bibat infirmus, aut ipſe Sacerdos in Miſſa poſt purificationem ordinariam.

36. *Pænitentiæ* Sacramentum cum omni dulcedine & zelo miniſtrandum. non propter aliquod ſuum intereſſe, ſed ſolùm cum charitate, & zelo honoris Divini, & ſalutis proximi. Eſt in manu eius Deperditio animarum, & de manu eius Deus eam requiret. unde ſaluti ovium omne ſuum commodum die ac nocte poſtponat, gratis miniſtret, ſiquidem dictum eſt, *quæ gratis accepiſtis gratis date.* caveat ne illi adhæreat aliquod peccatum

ex

ex his quæ audit. Non ſpernat graves peccatores, quia & Chriſtus lavit pedes Iudæ, etſi inde fructum non videbat futurum. Occaſiones reſcindat recidivæ, & inſtruat quomodo in illis ſe debeat gerere Pænitens. Si conſilia eius non acceptet Pænitens, miſceat ſeveritatem cum amore. quod factus Dei inimicus, ſpelunca dæmonum, feci tecum in perſona Chriſti quod potui, tu mavis eſſe carbo inferni: reſuſcitare volui tua bona opera quæ per peccatum mortificaſti. curris ad mortem & fient tua peccata graviora propter tuam ingratitudinem.

37. Confeſſarius eſt cooperator Dei, propterea debet ſemper adiutorium Dei expetere, eſt Iudex ſciat quouſq; iuriſdictio ſua ſe extendat. Parochus pro ſua solùm Parochia approbatur, nec poteſt alienos audire ſine ſpeciali licentia, præterquam Sacerdotes idq; eiuſdem Diæceſis, & non Religioſos. interroget de circumſtantijs neceſſarijs ſi illas omiſit Pænitens dicere, & ſuppleat illius defectum. ſed cum valdè ſcrupuloſis ſatis eſt ſi audiat illa quæ dicunt, niſi de contrario conſtet. Si defectu præparationis non di-

cat

cat quæ sunt necessaria, vel se de novo præparet, vel Sacerdos suppleat, idē est, si obliviscatur gravium. examinet se per loca, tempora, negotia, quæ interim gessit, & si adhuc sibi non commemoret, habeat propositum confitendi postquam commemoraverit, & sic absolvatur: non est opus vt Pænitens scribat sua peccata. & si scripsit non legat ea simpliciter, sed cum dolore. Si venit distractus, aut à negotio temporali, sine prævia oratione, aut simili pio affectu, si perseverat in peccato, lucris malis, odijs, nolendo illa dimittere, malè est dispositus.

38. Interroget Pænitentes secundùm eorum statum, antiquitatem prioris confessionis. circa carnalia circumspectè, ne doceat, cum necessitate, ne doceat peccare, svaviter. postquam Pænitens dixerit omnia quorum meminit, cavendo ne complicem nominet, ne verbis indecentibus exprimat peccata, si ambiguè respondet Pænitens vel sileat, non absolvatur, quia non est contritus. moneatur quòd stulta verecundia illum possit perdere. quærat de numero peccatorum, an quotidie, & per quot septimanas, men-

ses?

ses ? nullum signum impatientiæ ostendat, nec Pænitentem increpet imò illum animet, non suspiret, non se signet, non tristitiam ostendat, posset enim per hoc secretum violare detegendo apud adstantes & deterrendo Pænitentem à dicendo. timidis non se exhibeat severum imò illis explicet misericordiam Dei, & quòd sint qui graviùs illo peccârunt, & salvati postquam omnia dixerunt, exponat illis gravitatem peccatorum eorum, & pænas quas promeriti. Obstinatis recitet quas pænas similes incurrerint.

39. Doceat ignorantes Sacerdos ne per ignorantiam cadant in peccata, sed cautè pueros & fæminas, ne doceat peccare. doceat Catechismum & mysteria fidei rudes, de præceptis Dei & Ecclesiæ, de Sacramentis, de SS. Trinitate, de Incarnatione, Eucharistia & sciat ipse quos ignorantes possit absolvere, & si promiserunt se ista discere, & non sciunt, differat absolutionem. Moneat Patres & Matresfamilias, ut ista doceant domesticos, & an id faciant, interroget, an præcepta Dei & Ecclesiæ serventur, Missa audiatur, ieiunent, peccata prohibeantur.

Si

Si iſta non faciant, convenit illis differre abſolutionem. Qui volunt perfectè vivere, in hoc promoveantur, doceat etiam de viribus excommunicationis. Conſulat etiam in difficilioribus caſibus: nec priùs abſolvat quàm ſit certus. Meminerit quod dixit S. Aug. cap. ſi habet 24. q. 3. diſt. 38. *Ego ſenex à iuvene, ego Epiſcopus tot annorum à collega nondum aniculo paratus ſum doceri.* & alibi. *Nullus Epiſcopus propter opprobrium ſenectutis vel nobilitatem generis, à parvulis, ſi quid fortè eſt utilitatis, aut ſalutis, inqvirere negligat.*

40. Non ſolùm debet examinare Confeſſarius, ſed etiam iuvare, iuvando ad contritionem & propoſitum, ſi in hoc non habet praxim, oret Deum & libros legat, conſulat prudentiores. Advertat an Pænitens amore moveatur an timore. ſi timore, oſtendat illi turpitudinem & multitudinem peccatorum eius, & quas pænas pro illis meritus, adducat exempla, quòd etiam in hac vita ſunt puniti aliqui, quod ſit nihil occultum quin reveletur. quid per peccatum amittat, quid incurrat. S. Antonin. 3. p. tit. 13. c. 19. *Ruſtici & idiotæ non dedignantur aſpe-*

ritati

ritate verborum, & peccata parvipendunt ex lenitate sermonis. attendendum tamen ne amittant spem veniæ. Qui amore ducitur, illi proponantur beneficia Dei, creationis, redemptionis, &c. & oratiunculæ spem excitantes, explicetur Dei bonitas quæ illum hucusq; sustinuit.

41. Antequam absolvat, occasiones peccati proximas amoveat. oculos Pænitens coërceat, concubinam expellat, à ludo abstineat in quo pejerat, locos certos non accedat, si iam ante promisit & non fecit, si iterum promittit, differenda est absolutio donec se emendet. S. Chrysost. dixit. *Annosa passim medicamentis momentaneis non curantur.* Hæ occasiones non sunt quidem peccata, sunt tamen occasio, ut agere Mercatorem, Telonarium, Iudicem, Advocatum &c. quia in his facilè exercentur fraudes, iniuriæ, perjuria; tales frequenter ad doctum Confessarium recurrant & circa singula consilium petant. & si hoc non prosit, sed adhuc relabantur, mutent officium.

42. Si Pænitens non possit proximam deserere occasionem, svadeatur illi frequens oratio, nunquam solus cum sola

ma-

maneat, frequenter confiteatur. ſi hæc fecerit, abſolvatur primâ vice: ſed ſi adhuc labatur, omnino ſe ab illa occaſione dividat. Remedia deinde hæc habeat. 1. Manè ſurgendo è lecto, ſtatim ſuas omnes actiones Deo offerat, & pro illis gratiam petat 2. Quotidie Miſſam audiat, vel ſi id fieri non poſſit, accedat Eccleſiam ut in illa adoret SS. Sacramentum, audiat Conciones, viſitet carceres, hoſpitalia. aſſiſtat alicui pauperi morienti. 3. Faciat diſciplinas, ieiunia, portet cilicia, & ſimilia. 4. Orationes iaculatorias adhibeat cùm aliquo actu devotionis exterioris. 5. Habeat aliquam devotionem ad SS. Virginem, ut Sabbato ieiunare. dicere Roſarium, viſitare aliquod eius ſacellum, dare eleemoſynam in eius honorem. 6. Habere devotionem ad S. Angelum Cuſtodem, & S. Patronum. 7. Examinare quotidie omnes horas diei quomodo illas tranſegit, videndo cum quibus, & quæ tractet. 8. Vti frequenter Communione maximè pro feſtis ſolennibus. eligat optimum & eundem Confeſſarium. 9. Oret frequenter ab omnibus alijs liber: meditetur quatuor noviſſima.

43. Intra audiendum Confessiones frequenter emittat iaculatoriā orationem, utatur, quem hoc tangit, stolâ & superpelliceo. fæmina non accedat nisi in loco publico, cùm accedit fæminas infirmas, aut porta sit aperta, aut testis, nec citiùs, ante solis ortum, vel post occasum, aut dū sunt tenebræ, nec sine candela. Caveat ab omni signo indignationis, personam gerit Christi qui est mitissimus, recipiat quemvis ut ille bonus Pater filium prodigum, audiat quoties illi volent confiteri. Si videat Pænitentem parum dolere excitet cum illo actum contritionis, non detineat ultra necesse Pænitentem, & provideat ne quam in flectendo sentiat molestiam, potest etiam, si longa est Confessio dividere, quia fatigatus Pænitens non est aptus ad recipienda monita.

44. Quando est magnus accursus Pænitentium, nullum præponat, nullum postponat: habeat tamen rationem viatorum, debilium, & qui aliàs sine Confessione abirent. non terreatur ullius dignitate, sed dicat quæ ad salutem eius sunt. applicet sibi dictum sapientis. *Noli*

fie.

fieri iudex nisi valeas irrumpere iniquitates. Si neganda vel diferenda absolutio, fiat id quam dulcissimè ostendendo, quod hoc sit pro bono ipsius. Qui raro communicant, solent ad communionem malè præparati accedere, doceat Sacerdos modum, considerent quid agant.

45. Nec pro levibus peccatis graves, nec pro gravibus leves imponat pænitentias. Trid. sess. 14. c. 8. *Ne fortè levissimæ pænitentiæ opera pro gravissimis delictis iniungendo alienorum peccatorum particeps efficiatur.* Poterit antiquos Canones Pænitentiales adducere, non ut secundum eos imponat pænitentiam, sed ut Pænitens apprehendat gravitatem sui peccati. Pro perjurio imponebantur septem anni in pane & aquâ. cap. *At si quis* 22. q. 5. Consideret non solum peccati gravitatem, sed etiam vires Pænitentis, si petat sibi gravẽ imponi pænitentiã. illa ipsa imponatur, qvia sic erit plùs meritoria, erit enĩ pars Sacramenti. Pro debili vero offerat se aliquã partẽ velle facere pænitẽtiæ de cætero svavi modo inducat ad faciendum.

dum. Imponat autem proportionatè ad peccata, ut carnalibus jejunia, diſciplinas, cilicia, vigilias, peregrinationes. Avaris reſtitutionem, eleemoſynas. Superbis ut petant àDeo humilitatem. Acediofis ut interſint Concioni, Catechiſmo, frequentent Eccleſias & Officia Divina. Blaſphemis detur gravis pænitentia: ſed non imponitur eleemoſyna pauperibus, aut ieiunium laboratoribus. poteſt publicis peccatoribus imponi pænitentia ſubinde publica, ſed ſi illi ipſam acceptent, ut cum ædificatione fiat, & ſine læſione ſecreti, nec publicas ab Epiſcopo ordinatas commutet Sacerdos in privatas. In omni pænitentia ſpectetur ut peccatum præteritum puniatur, & à futuro fiat præſervatio, pro quo legat libros ſpirituales, frequentet Sacramenta maximè Confeſſionis. non accedat talem domum, nec tales perſonas cum quibus Deum ſolitus offendere. & omnia fiant ſvaviter.

46. Si imponit Sacerdos Miſſas Pænitenti, non ad ſe illas dirigat, idem de reſtitutione, de commutatione uoti; nec reſtitutionem in ſe recipiat niſi à Pæniten-

tente cogatur ut ille non detegatur, & ſtatim chartam accipiat ab illo cui reſtituit, eamq; monſtret reſtituenti. In nullo caſu committat Sacerdos, ut violet ſigillum Confeſſionis, aut illam reddat odioſam, imò de hoc certificet ſuos Pænitentes, maximè fæminas. propterea non loquatur de ſuis Pænitentibus, nec illos detineat extra Confeſſionem, nec de materia loquatur in qua ſunt Confeſſi niſi ipſi cæperint, etiamſi peccata aliunde ſciat, ſed de his ſi opus, ante Confeſſionem loqvatur. nec de auditis in Confeſſione loqvatur cum alijs etiam per terminos generales, ne fortè aliquis conijciat perſonam Pænitentis; vel circumſtantiam. qvare optimum eſt à talibus colloqvijs abſtinere. agat cum Pænitente ac ſi nihil ab illo mali audiviſſet, ſed ita dulciter ſicut antea, etiamſi graviſſima audiverit, ut Pænitens videat qvòd nihil cum illo agat vi Confeſſionis, nec illum minùs æſtimet. Recurrunt aliqvando ad Sacerdotem aliqui, vel paſſi damna à Pænitente, vel vt de ipſius peccatis inſtruant: ibi cautiſſimè Sacerdos reſpondeat, non dicat ſe iam iſta au-

diuisse, ne confirmare videatur, aut secretum lædat, nec dicat se de hoc monuisse Pænitentem. Concordias si petantur, faciat ante Confessionem. non laudet Pænitentẽ coram alijs nisi ex virtute publica.

47. Non bene faciunt qui differunt Confessionem Paschalem usq; ad ultimum diem; quia propter multorum concursum non possunt bene confiteri; quare ut id faciant citiùs, moneat Parochus. Pueri antè instruantur de virtute hujus Sacramenti. ex aliena Parochia non confiteantur sine licentia proprij nisi priuilegiato, sed hoc non faciant, ut vel censuras, vel restitutionem omittant, vel ut non euadant occasionem proximam peccati. Concedat autem libenter Parochus ut suus alteri confiteatur quando non est suspicio deceptionis, imo hanc licentiam illis offerat, maximè qui cùm eo litigant; vel qui illum offenderunt, damnificârunt, complices fuerunt, vel illi, qui confiteri non possunt sine aliqua nota; vel qui ad alterum majorem habent affectionem, vel sperant ab illo satisfactionem.

48.

48. Viatores, qui non de industria vitando proprium, veniunt, potest pro Paſchate audire Parochus. Cogitet quomodo Patres-familias ſuos pueros & familiam poſſint adducere ad Catechiſmum. de illis qui ſunt in pagis. de medijs extirpandi peccata publica, blaſphemias, concubinatum, uſuras &c. ut feſta obſeruentur, ad Miſſam eatur. Abſolutio neq; per literas, neque per internuntiũ, detur & confeſſio facta eſt valida itemq; abſolutio. ita Clemens VIII. Anno 1602. & excommunicationem incurrunt ipſo facto qui contrarium docent reſeruatam Papæ. De Cenſuris, de Caſibus reſeruatis ſcripſimus in Libro, quem appellauimus TRIBUNAL SACRUM, & alibi. Si quis veniat ex alia Diæceſi cum caſu qui in illa reſeruatus, hîc verò non. poteſt abſolui ſecundùm doctrinam Nauarri cap. 27. num. 261. ſpectare tamen oportet, ne caſus ille fuerit publicus & ſcandaloſus, tũ enim ad ſuã Diœceſim pro abſolutione remittendus, videndum ne Pænitens veniat in fraudem ſui proprij Parochi, talis enim abſolui non debet, ſi autem è valdè longinquo

& Paſcha immineat, debet abſolui, non poteſt avtem commutari aut diſpenſari votum reſeruatum Papæ.

49. Quando Pænitens habet reſeruata & non reſeruata, vtraq; ſimul confiteatur, niſi Sacerdos habeat facultatem abſoluendi à reſeruatis extra Sacramentum, ut tollat reſeruationem, tunc illi poterit dicere ſola reſeruata, ſed alteri debebit & hæc & altera dicere, ut reſeruatione ſublatâ abſoluatur. eidem verò tandem confiteatur reſeruata & non reſeruata mortalia, ut confeſſio ſit integra.

50. Quod attinet *Matrimonium*, dedimus de hoc ſummulam SS. Canonum. Parochus non faciat Bannas niſi circa Perſonas cognitas, & ſi inſtantiã fecerat Pater & Mater Sponſorum, aut Tutorum, & ſint ſpoſi in ætate legittima, quæ eſt in Maſculis annorum 14. in fæmellis 12. completorum, nec illos denuntiet qui non ſunt confeſſi Paſchaliter niſi confiteantur ante bannas, nec vagabundos ſine licentia Epiſcopi, nec illas quæ degunt in Monaſterio. Si interea affertur aliquod juſtum impedimentum, recur-

currat ad Episcopum. si datur dispensatio in Bannis inscribatur in libro cum suis rationib⁹; cui inscribit Matrimonia Bannæ fiant die festo in Missa, & expediret illas affigere ad valvas templi. Quando sunt sponsi de duabus Parochijs in utraq; fiant bannæ, & si dubium oriatur, ad Episcopum referatur. semper attendatur ut bannæ fiant quando est populus frequens, vnde ad illius frequentiam differrantur, & pro bannis nihil exigat Parochus. instruat illos qui debent impedimenta reuelare, quantum ex hoc sequatur incommodum.

51. Si sit suspicio de Consanguinitate vel Affinitate, computet gradus & doctiores consulat, & interea differat Matrimonium. & propterea in Concione explicet impedimenta Matrimonij, similiter dies quibus prohibentur nuptiæ, ut etiam non consumentur ante benedictionem. Qui contraxerunt Matrimonium in gradu prohibito, separentur donec obtineant dispensationem, quæ per Episcopum expedietur, ad quem spectabit pauperes adiuvare, & de hoc doceatur populus. Commemoret decretum

Trid. seſſ. 24. de reform. Cap. I. quòd excommunicentur qui cogunt aliquem vel aliquam ad Matrimonium. ſimiliter quod ſit prohibitum Matrimonium clandeſtinum. Non aſſiſtat illis qui neſciunt ad ſalutem neceſſaria, ut Pater noſter, Aue Maria, Credo, Decalogum, niſi aliter magna urgeat neceſſitas, vel ſit licentia Epiſcopi ut interea iſta diſcant. Triduò ante Matrimonium Sponſi confiteantur & communicent, neque dum fit hoc Sacramentum, proferat aliquis verba inhoneſta. Miſſam Sponſi audiant. Conſenſum de præſenti non de futuro claris verbis exprimant. ſi dubiè proferant, conſulat Epiſcopum. Etiam quos contingit cum licentia domi contrahere, intra dies decem recipiant benedictionem in Eccleſia. Hic actus non poteſt fieri niſi per proprium Parochum, aut ſine illius licentia, aut Epiſcopi, & qui Sacerdos ſine his faceret. ipſo facto ſuſpenſionē incurret & ſi illi datur facultas, ſtatī libro Inſcribatur.

52. *Extrema unctio*, neq; danda condemnatis ad mortem à Iudice, neq; Pueris ante uſum rationis, neq; à natiuita-

te-

te amētibus neq; puerperis nisi post partū proximæ sint agoniæ; potest conferri Adolescentibus dū mors in t ndeat à febre, læsione aut alijs causis uralib⁹ potest dari cæcis, surdis, mutis, paraliti is, semper carentib⁹ sensu. non datur ni in morbo in quo mors timetur, sed non expectetur dum æger sensibus & ratione priuetur potest dari lapso in phrenesim & extra se facto, dum non fuerit in peccato mortali quando in phrenesim labebatur, aut in excommunicatione, vel scandalum sequatur ex unctione, si dubium an vivat, præmittatur conditio, si vivus es & sic detur, & si videatur mori, quàm celerrimè continuetur. non iteretur unctio in eodem periculo mortis, nisi novum superueniat post aliquod tempus, aut judicio prudentis. ungantur oculi, aures, nares, os, pedes. & renes, si est consuetudo, & tempus patitur, & Psalmos ac Litanias dicat. Pro unctione, si tamen æger adhuc vivit, non adhibeat aliud oleum quàm Infirmorum. si infirmus non possit confiteri aut communicare, si tamen dedit signum doloris aut attritionis, & desideret, ungatur, ut ex

attri-

attrito fiat contritus. dum daturus alicui valdè periculoſo, viaticum habeat ſecum, Oleum infirmorum, & ſtatim ungat, ſed priùs explicet vim unctionis ſi tempus patitur. Caueat ne aliquis ſua culpa ſine unctione decedat, ſic enim mortaliter peccaret Sacerdos, quia damnum grave faceret ægro.

53. *Viſitatio Infirmorum* quantò iuvari poteſt ſalus eorum tantò diligentiùs facienda. Moneat Parochus populum ut ſi quem contingat infirmari ſtatim illi ſignificent, & antea viſitet frequenter, ne infirmi tantùm in hoc caſu videndo viſitantem, terreantur, & maximè viſitet ab initio morbi officioſè, & doceat domeſticos ut illum ad hoc invitent, maximè quando eſt quid periculoſum. Scripſi ego in Libro cui titulum dedi. MEDICUS FAMILIARIS. quomodo cognoſci poſſit Infirmus periculoſus. doceat ut æger de manu Dei recipiat ut medicinam morbum, ut omnia ferat patienter, ſi infirmus eſt fortis animi, ſignificet illi periculum mortis. ſi eſt timidus, non dicat illi de morte, & inferno niſi prudentiſſimè. Si deſeratur à

Medi-

Medicis non ideò illum terreat Parochus, ſvadeat vt ſe voluntati Dei conformet, & interea confiteatur. Proponatur illi, ſi dolores morbi ſuſtinere non poteſt, quomodo ignem inferni ſuſtinebit in quo anima uſq; ad reſurrectionem manebit & poſtea cum corpore in æternum, ubi nullum habebit niſi dæmones, qui in hoc toti erunt, ut ſemper accumulent tormenta. non differat, quia multi differendo pænitentiam ſunt damnati, ne confiteri tum primùm velit, quando non poterit, vel ut latro poſitus in tortura. modicum eſt tempus quo poteſt B. Virginis & Sanctorum inuocatione iuvari, obſtinato autem commendetur ut oret, & alibi pro ipſo orent, & ipſe Parochus pro illo oret, Miſſas offerat, & alia.

54, Quando *Parochus vocatur ad confeſſionem Infirmi*, omnia ſtatim alia relinquat, fortaſſè hæc illius Confeſſio erit ultima, & poſt hanc nullum remedium, laboret ut infirmus habeat veram contritionem, & attendat Parochus ut ſecuriſſima det conſilia, occaſiones proximæ peccandi omninò tollantur. attendat ad

onus

onus reſtitutionis parti offenſæ, & pecuniæ deponantur in manu alicujus tertij, quæ debent reſtitui, etiamſi nondũ ſit caſus reſolutus. Si infirmus alicui inimico non vult dimittere, abſolui non poteſt, & ſi vult abſolui, ponat in ſcripto, & Sacerdos attendat ne Pænitens fallat. Si inimicus Infirmi vult deprecari & ſatisfacere, & Infirmus remiſit odium, & non turbabitur aſpectu inimici, poterit acceſſum Parochus permittere.

55. *Quoad teſtamentum* ſvadeat ægro Parochus, ut illud faciat, ſed ita cautè, ne videatur aliquod commodum pro ſua parte intendere. curet ut illud æger faciat in ſtatu gratiæ, & pro ſecuriori de gratia Dei, ratificet illud factâ confeſſione, ſi poteſt, quod cui debet reſtituere, id vivens faciat, alioqui peccabit mortaliter ad teſtamentum remittendo, cùm in difficultates & dubium remittat. ſi deſit Pars cui reſtituendum, deponatur id quod reſtitui debet in manibus Proborum virorum, qui deinde quàmprimum Parti reſtituent. Si Æger conſulat cui ſua bona inſcribere debeat, dicat, quòd Eccleſiæ & pauperibus, & reſiduum

cognatis;itē pauperibuscaveat, omnimodo ne videatur suum aliquod interesse quærere, sed unicè salutem sui Aegri.

56. Errat Parochus si putat se officio suo satisfecisse quòd ægro dederit Sacramenta, si de illo ampliùs iuvando non sit sollicitus, nam ad hoc est obligatus in hoc periculoso ægri statu;nisi hoc præstiterint alij Sacerdotes. accedat tamen ipse frequenter eliciendo actus fidei, spei, contritionis. addat illi animas quæ agant de misericordia Dei, & passione Christi, orationes ex Agendis recitet deuoté, quærat an alicuius peccati non sit oblitus. aut loquatur de rebus alijs. non simul totum dicat, sed per intervalla, idq; blandè. si plures alij adsint, curet ut tantum loquatur unus,& alij interim orent. non adsit vxor, vel proles, aut quos æger tenere amat & qui possunt impedire dispositionem. nihil quod spectat ad altare ponatur ad ornatum defuncti. nec semel sepultus transferatur aliò sine licentia Episcopi. et debuit cauere ne quis ægroto Sacrū oleū sine sua det licentia, ita nec ipse inducat vel alius ut in hacEcclesia sepeliatur,sicut neq;

via-

viaticũ det alter sine ejus licentia. Ex contractu accipere aliquid pro sepultura redolet Simoniam.

57. *Missas pro Defunctis* faciat Parochus ferijs secundis ut præcipiũt Rubricæ Missalis. nullus Sacerdos pro pluribus defunctorum Missis accipiat, quàm ut possit explere. peccat enim mortaliter priuando interim animas gloriâ & subsidio, nec pro una Missa duo integra stipendia accipiat: nec plus accipiat & alteri Sacerdoti Missam pro minori, comittat, & contraria doctrina est damnata sub anathemate. Anniversaria non fiant die Dominico, aut festo de præcepto, sed cũ licentia Episcopi transferat vel anticipet.

58. Non obliuiscatur *animarum in Purgatorio*. accipiebat ab illis dum vivebant in corpore decimas & alia, & fortasse aliquæ propter negligentiam, quam circa illas habuit, patiuntur, & illas commẽdet suis Parochianis maximè affinib⁹ qui specialiter obligantur, & nullus est qui non possit illas iuvare per orationes, ieiunia, eleemosynas, auditionẽ Missæ & alia bona opera. recordentur se post mortem in eodem statu futuros, & fortè

tè citò propter varios casus. Curet ut legata quamprimùm exoluantur, & ad hoc invocet Episcopum.

59 Licet *excommunicati* & declarati, absoluti tamen in articulo mortis à Sacerdote possint in loco Sacro sepeliri, non faciat attamen id Parochus non consulto Episcopo aut ejus Vicario, ut procedatur juridicè & declaratio fiat absolutionis, ut satisfiat Ecclesiæ in foro exteriori, & scandalum non fiat in populo.ex eoq;sumat occasionē non timendi censuras Ecblesiasticas. non sepeliat eos in Ecclesia qui mortui sunt in peccato publico non absoluti aut signis prævijs Pænitentiæ, etiam Hæreticos, Schismaticos, excommunicatos publicè, homicidas suorum ipsorum. pro abortiuis & sine baptismo mortuis, habeat locum sepibus clausum extra cæmeterium.

60. *Quod attinet instructionem populi*, Trid. sess. 5. Cap. 2. de reform. *Archipræsbyteri quoq; plebani, & quicunq; Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Ecclesias, quocunq; modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint,*

die-

diebus saltem Dominicis, & festis solennibus, plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium ad salutem, annunciandoq; eis cum facilitate & breuitate sermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat, ut pænam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant. id verò si quis eorum præstare negligat, etiamsi Ecclesiæ quouis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio etiam extra Diæcesim existenti forsan annexæ vel unitæ modò reipsâ in Diæcesi petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaq; si ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si illi expedire visum fuerit ex Beneficiorum fructibus, alteri qui id præstet, honesta aliqua merces persoluatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat. Idem Concil. sess. 22. Cap. 8. de Sacrificio Missæ. Et sess. 24. de reform. Cap. 7. Quæ diligens, Parochus relegat, quod valdè est necesse. Scripsi ego materiam Cathecheticam pro Concionibus Parochorum, & libello speciali publicavi.

61. In Concionibus doceat res necessarias ad salutem, quomodo populus debeat credere & vivere, quis fructus Sacramentorum. declaret Sacras cæremonias, denunciet festa & ieiunia, Trid. insuper præcepit, ut se accomodet, captui populi; non nimis se diffundat, sed laboret ut intelligatur, unde omittat quæstiones difficiles & abstrusas, exponat clarè historiam Euangelij. S. Franciscus ita suis Concionatoribus præscripsit. Concio rotis quatuor vehatur. reprehendat vitia; commendet virtutes, minetur pœnas. commemoret præmia. omnia dicat ordinatè ut possint memoriâ retineri. sit sermo conformis Euangelio, nullam doceat doctrinam nisi quæ est recepta ab Ecclesia, nec dicat ea quæ ipse non satis intelligit. si in aliquo errauit in proxima corrigat Concione. verba non affectet sed neque crassis utatur, à facetijs omninò abstineat. nec historias prophanas adhibeat nisi res exigat, adhibeat similitudines & exempla. non vno utatur tono. nihil dicat ambiguum, aut obscurum, nullam Personam in particulari tangat. Miracula sola recitet

quæ recepta sunt ab Ecclesia. Iudicij ultimi temp⁹non determinet, sæcularium statuta ex Cathedra non publicet, nec indulgentias nisi ab Ordinario reuisas, non cesset inuehi in unum vitium, donec illud extirpet. tum ad aliud progrediatur, & ita agat, ut non hominibus, sed vitijs se ostendat infensum, & simul ostendat charitatem, nec ullum statum reprehendat, multominùs personam designet. de peccato carnis ita loquatur, ut non excitet cogitationes turpes. Cogitet se in hac actione esse Legatum Dei pro salute populi. Teneat bonam vitam, oret, studeat.

62. Meminerit Concionator verborum S. Bernardi epist. 201. ad Bald. Abbat. *Sermo vivens & efficax exemplum est operis facilè faciens svadibile quod dicitur. dum monstratur factibile quod svadetur.* Meminerit & illius quod scripsit S. Gregor. in Iob 6. Moral. 7. cap. 16. dicit Iob. *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cùm è vobis nullus sit, qui possit me arguere.* In hæc verba S. Gregor. *Mundus ipse debet esse à vitijs, qui curat aliena corrigere, ut terrena non cogitet, desiderijs infimis non suc-*

ſuccumbat, quatenùs tantò perſpicaciùs alijs fugienda videat, quantò hoc ipſe per ſcientiam & vitam veriùs declinat, quia nequaquam purè maculam conſiderat oculus, quem puluis grauat; & ſuperjectas Sordes manus tangere non valet, quæ lutum tenet. S. Chryſoſt. dum iſta verba conſiderat. *Vos eſtis ſal terræ; vos eſtis lux mundi* ita in hom. 15. in 5. Matth. loquitur. *Priùs ſal poſuit, deinde lumen, ut diſcas quantum ſit verborum urentium beneficium, quantumq; commodum honeſtæ veræq; doctrinæ, hæc ſiquidem ſtringit animos, facitq; attentiùs ad lumen virtutis aſpicere, ad quam velut apprehensâ manu pertrahit audientes.* qui malè vivit, ſua bona verba corrumpit, imò ſibi ipſi pudorem infligit, nec facilè tali Deus cooperatur, S. Greg 31. Moral. Cap. 21. in illa verba Iobi. *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?* ita habet: *Hinnitu vox prædicationis exprimitur. veriùs autem quiſque Prædicator ante fortitudinem & poſt hinitum accipit, quia cùm priùs in ſe vitia extinxerit, tum pro erudiendis alijs ad vocem prædicationis venit, quia in Prædicatore niſi vita*

& sermo convenerint, nequaquam virtus perfectionis apparebit. & in Ezech. hom. 16. *Sermo dulcedinem non habet, quem vita superba intra conscientiam remordet.* Hæc de vita Concionatoris.

63. Quantoperè verò in Prædicatore gratia requiratur patet ex eo quod dixit David. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* & primò, ut sibi & Auditoribus Deus det gratiam assumat mortificationem. *Manus meæ distillaverunt Myrrham primam &c.* Rupert. Abbas ita explicat lib. 5. Cap. 6. in Cant. *Oportebat dare exemplum omnis mortificationis. & quia hæc carnis mortificatio propter Deum erat myrrha, dicitur probatissima, quæ non esset, si propter gloriam propriam, caro mortificaretur. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, id est clausuram oris mei, ut audientes ædificentur:* ut verò instantiùs oret, ecce præmium ostendit Sanctus Iacobus. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

64. Non semper supra eundem locum

Evan-

Evangelij Concionetur. ne eadem dicat. Notet ſibi ordine, quæ legit ſupra hoc ipſum Evangelium. Qui non didicit Theologiam non intret materias difficiles; quia nec illæ ſunt ad plebem, nec ſi dat in hoc alicui libro, quia fortaſſe illum male intellexit. Si caſum aliquem vult explicare, adeat authores qui pro, & contra ſcripſerunt, & tum quod eſt certum pronunciet. In hoc laboret vt extirpet vitia quæ ſunt in ejus plebe. explicet ad quid ſtatus quilibet ſit obligatus, ad amorem Dei. ad pænitentiam, ad timorem judicij, ad ſpem in miſericordia Dei, ad iuvandos pauperes. Libros pro Concionibus neceſſarios habeat: dedimus & nos luci Conciones pro omni caſu neceſſario Concionatori in Polonia, quæſtiones ſupra Evangelia. Pſalmorum explicationem, & quædam alia. Quod Auditoribus vult imprimere. hoc primum in ſeipſo excitet. adnotat hoc S. Greg. in verba Ezechielis. *Comede volumen iſtud, & vade & loquere ad filios Iſrael* cùm dicit hom. 16. in Ezech. *In verbis Sacri eloquij iſte debet ſtudij noſtri*

Ordo servari, ut hæc ideò cognoscamus, quatenus de nostra iniquitate compuncti cognoscentes mala quæ fecimus, vitemus ne alia faciamus. Comede volumen istud, & vade & loquere filijs Israël, ac si de Sacro cibo diceretur, comede & pasce, saturare & eructa, accipe & sparge, confortare & labora. ut se ad hæc aptet, ità agat. nunquam Concionem alienam totam dicat, sed etiam ipse laboret. dicat ferventer S. Greg. 8. Moral. 16. *Ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur. neq; enim res quæ in seipso non ardet, aliud accendit.* par de succursu Dei. dignatus ille ex rubo loqui, & ad nomen Ioannis solvere linguam Zachariæ. non curet plausum alicuius quia non faciet fructum. Si per suas Conciones non videat populum emendari, non cesset, officium ejus est, Prædica verbum, opportunè, importunè. Bern. lib. 4. de consid. *Noli diffidere, curam exigeris, non curationem. Audi, curam illius habe, & non cura, vel sana eum, verum dixit quidam non est in Medico semper relevetur ut æger. Paulus loquitur: plùs omnibus laboravi, non dicit*

plus

plus omnibus profui, Planta, riga, fac curam, & tuas explevisti partes. Sane incrementum ubi voluerit dabit Deus, non tu, Vbi fortè noluerit, tibi deperit nihil. Reddet Deus mercedem Sanctorum suorum, securus labor quem nullus valet vacuâre defectus alicuius.

65. *De Catechismo* ita Concilium Lateran. sub Leone X. sess. 9. statuit. *Statuimus & ordinamus, ut Magistri Scholarum, & Præceptores pueros suos, siue adolescentes, ne dum in Grammatica & Rhetorica ac cæteris hujusmodi erudire aut instruere debeant, verùm etiam teneantur ea, quæ ad Religionem pertinent, ut sunt præcepta Divina, articuli fidei, Diuini hymni & Psalmi, & Sanctorum vitæ, diebusq; festiuis nihil aliud docere possint &c.* Similia habet Trid. sess. 14. de reform. cap. 4. ubi hæc fieri in omnibus Parochijs præcipit.

66. *ConversioPaganorũ.* Si obstinatorũ; in hoc Parochus ostendat, quòd dum illos visitat, veniat non pro convertendis illis, sed suaviter alia agendo insinuet illis fidem, ut intelligat cur nolit fieri

Chri-

Christianus, & si in hoc sit obstinatus aliâ vice redeat Parochus. si ille ostendat nolle se perdere suam salutem, ostendat illi misericordiam nostri Salvatoris, qui illi offert salutem, & si illam repudiaverit, vertetur ad justitiam in hoc et altero mundo. & interea pro illo Parochus oret ardenter, & hoc ipsum commendet illius Pagani custodibus, non tamen ut illi faciant aliqvam importunitatem, aut occasionem impatientiæ. Si quis velit converti, omnem illi ostendat amorem & adiumentum, & obtineat tempus liberum quo cum illo Pagano possit loqui, ita ut non audiant alij Pagani quid cum ipso loquatur, caveat autem ne contumeliosè tractetur imo specialem erga illum ostendat affectionem, & qvòd per Baptismum ab omnibus liberabitur peccatis. Interroget ab initio ex qua sint terra, quomodo in manus Christianorum devenerunt. & similia ut ille Paganus aliquem affectum contrahat erga Parochum, linguam etiam illius imitetur, & occasionem captet, ut illi ostendat, quòd illum ex millibus eli-

gerit

gerit Christus, ut illi gratiam ſuam aperiat, ut inter Christianos ſalutem conſequatur. & paulatim in hoc procedat. interea cognoſcet an ille Paganus fuerit aliquando Christianus, quod in Turcis & Tartaris ſpectandum. tum quærat. quare deſeruerit fidem. ſi pro temporalibus, oſtendat illi majora eſſe cæleſtia, doceat illum Pater noſter, Aue Maria, Credo Decalogum. Symbolum, Sacramenta. ut ſenſum illorum capiat. & hæc ipſa recitet quotidie. & ſi erret ſubinde. Si linguam non intelligat Paganus, curet Parochus ut in domo illius nemo loquatur niſi communi linguâ. quotidie fiat aſperſio aquæ benedictæ. & oratio de genu coram imagine B. Virginis. tum doceat illum de myſterijs SS. Trinitatis. quoties profert SS. nomina toties caput inclinet, devotè. habeat etiam in domo Pagani Parochus talem, qui adiuvet in Catechiſmo. nec increpet ſi ille non capiat, oſtendat autem id poſſe brevi ab Omnipotente Deo. doceat illum de cæremonijs Baptiſmi, ſæpiùs in illo excitet actum doloris de peccatis. inſtruat de

Com-

Communione , & de Baptiſmo , de Confeſſione, de Miſſæ auditione, de benedictione ad menſam & gratiarum actione, de conformitate cum voluntate Dei in afflictionibus. de examine conſcientiæ, de uſu ſigni S. Crucis : de oratione pro proximis , pro animabus in Purgatorio ; de indulgentijs, eleemoſynis, jejunijs, de Concione, de adoratione S. Euchariſtiæ , ut poſt mortale peccatum quamprimum eliciat contritionem.

67. *Nomina Parochianorum* in uno libro conſcribat, & ſubinde conſideret quibus quis obnoxius vitijs, quibus iuvari medijs poſſit. Hunc librum quovis triennio renovet, adſcribat quando quis Confirmatus, quando communicavit. Viſitet ſubinde ſuos, moneat, inſtruat.

68. *In his recurrat ad Epiſcopum.* Si in ſua Parochia ſunt ſuperſtitiones, concubinatus, uſuræ, divortia. uſurpatio bonorum Eccleſiæ, connubia in gradu prohibito, maleficia, graves inimicitiæ, falſa teſtimonia, ſi tributa exiguntur injuſta, ſi omittatur communio Paſchalis

lis

lis: si pia legata non redduntur, festa non observantur.

69. *Incarceratos* visitet frequenter, & hortetur ut exeant è carcere peccatorum, ostendendo quàm sit gravis carcer inferni, orent, faciant generalem Confessionem, procuret illis aliquam imaginem Sanctam. aquam benedictam, recitent quotidie Coronam B. V. Litanias, & si fieri possit audiant Missam, commendēt se sancto Leonardo quia est protector incarceratorum. librum aliquem Spiritualem legant. & aliquid laborent.

70. *Quo ad Scholas* advertat Parochus ut Magister sit veræ fidei, & bonorum morum, literas cum pietate doceat. visitet frequenter Scholam, doceatur timor Dei, castitas, devotio erga B. Virginem, Angelum custodem, recitentur frequenter coram pueris Sanctorum exempla, maximè Sabbato & in Vigilijs, imago aliqua Sacra sit in Schola. habeat aliquem Sanctum pro Patrono, & die illius confiteantur & communicent qui habent ætatē omni mense, audiant quotidie

tidie Miſſam. ante lectionem orent, & in fine, caveatur ne liber inhoneſtus explicetur, Sabbato diſcant Catechiſmum.

71. *Quod attinet Pauperes* conſideret Parochus verba S. Gregorij in gloſſa ord. in Cantic. 5. *Qui ad ſolicitudinem regendarum animarum ſe accingit, reſtat, ut quibus æterna prædicat, ad providenda quoq; eis temporalium neceſſitatum ſubſidia invigilet.* quia obligati ſunt ex charitate ad præſtandum pauperibus aliquod ſolatium & remedium qui ſunt non ſolùm in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate, proinde cognoſcere debet Parochus, ſi ſunt in tali ſtatu. præcaveat per monitiones ne ad talem ſtatum deveniant, laborent iuxta ſuam conditionem, moderentur expenſas, de cætero ipſe præeat exemplo cæteris in illis iuvandis, & ſi eſt aliquod legatum pium, in illos convertat. commendet illos populis, & oſtendat quòd illis obligentur ſuccurrere, quòd ſi hoc non ſufficiat, ipſe Parochus pro illis mendicet adhibito aliquo teſte, de hoc ipſo Epiſcopum adeat tanquam

Pa-

Patrem universalem. tum in hunc finem curet institui Confraternitatem. Hoc ipsum maximè circa Orphanos agat, & doceat illos necessaria ad salutem. vel Tutores de hoc moneat. Peregrinos libenter recipiat, quia ut docet S. Chrysost. hom. 25. in Matth. *Qualem mercedem habet qui propter Deum peregrinatur, talem habet qui suscipit peregrinum, & sunt ambo æquales, videlicet qui propter Deum refrigerat, & qui propter Deum laborat.* & dum præbet cibum corporis, præbeat etiam cibos animæ.

72. *Doceat modum Baptisandi* in necessitate ne error committatur, nec permittatur id facere, nisi quis à se priùs instructus, & subinde illos interroget nè fortè sint obliti rerum substantialium, si aduertat errorem, aut ejus periculum prohibeat baptisare, & si contumaciter peragant, moneat Episcopum aut ejus Vicarium. *Pacem inter Parochianos curet.* statim ut intellexit de inimicitijs, nam hæ faciliùs ab initio sedantur. Quidam odia regunt specie amicitiæ, talibus in Confessione graues imponat Pœniten-

tias, & ſi aliunde cognovit, graviter pro Concione in communi hoc peccatum reprehendat. Poterit adhibere verba Gen. ult. dicendo ea nomine Chriſti. *Pater tuus præcepit antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus, obliviſcaris ſceleris Fratrum tuorum, & peccati atq́ malitiæ, quà exercuerunt in te. Nos quoq́ oramus vos, ut ſervo Dei Patris tui dimittas iniquitatem hanc.*

73. *Si habet apud ſe Clericos.* illos qui ſunt in Minoribus, moneat ut ſingulis menſibus confiteantur, Subdiaconos ut decimâ die quinta Diaconos ut die octava hoc enim debitũ illorum. Præſcribat etiam qvando ſuos Ordines exercere debeant, ut deinde poſſit de illis teſtari ſuper hoc. Catechiſmum populo explicent. Nec ſcandalum aliquod faciant, aut vivant licentiosè, diebus feſtis aſſiſtant choro. Miſſæ, veſperis, de cætero in aliquo Collegio ſtudeant Caſibus vel Theologiæ. habitum & tonſuram deferant. Si Sacerdos non poſſit celebrare, communicet qualibet die quintadecimâ, & vitæ illius invigilet.

74. *Quoad Confraternitates*, attendat ut aliqua pia opera exerceant. non recipiat ad illas ſcandaloſos, nec ante annos 20. completos. dum recipiuntur confiteantur & communicent. Adſit ipſe Paroch⁹electioni Officialium qui ſingulis annis reddant ſuiOfficij rationem. Immobilia bona Confraternitatis non alienentur.Confiteantur Confratres ſingulis menſibus, principaliter die ſui Sancti Titularis. Sciant doctrinam Chriſtianam. Paſchalis confeſſionis dent chartam ſuo Præfecto, & ille reddat Parocho. Adſint proceſſionibus publicis. Quadraginta horarum aliquando faciant orationem. audiant Conciones. Inſtruant domeſticos ea quæ ſunt ad ſalutem, ſi aliquis cadat in grave peccatum publicum deleatur è numero Eratrum ſi monitus non ſe corrrigat. odia inter Fratres componant. Hæ vel ſimiles leges appendantur in ſacello Confratrum. & in his juvetur Patochus à proprio Sacerdote Confraternitais.

74. *Viſitationes domorum* quæ in Polonia fiunt poſt novum annum, hoc modo in-

inſtitui fructuosè poterunt. inſtruat antè populum Parochus quid hæc viſitatio & benedictio ſibi velit, hoc eſt, quòd illa Domus ab omni malitia dæmonis ſit purganda. & ut Deus illis, qui viſitantur omnem impendat gratiam ſpiritualem. & ut ſe præparent ad iſtam gratiam recipiendam non ſolùm per puritatem conſcientiæ, ſed etiam per emundationem Domûs, ab imaginibus turpibus, libris fœdis, cancionibus inhoneſtis, teſſeris, chartifolijs. quare circa hæc Patres-familias ſuas revideant domos, & diſponant familiam ut confiteatur ſi proximè non eſt confeſſa, & devotioni & Sanctis operibus tempus impendant, etiam ad hunc finem Parochus Miſſam offerat, propterea intra unum diem non conetur hanc functionem expedire. Accedat cum ſuperpelliceo & ſtola, Cruce, & Clericis, ſi quos habet, cum aqua benedicta, & moneat domeſticos ut adſint omnes, oret, vel Litanias de B. Virgine dicat. nec minimam requirat eleemoſynam, aut pro ea recipienda vas afferat, occurrat Parocho venienti Pater-familias

llas cum omnibus ſuis domeſticis, oret interea devotè Parochus, pro illa familia. ſed non accedat Domum, in qua eſt aliquis excommunicatus, aut fæmina infamis, concubinarij, uſurarij, aut rei criminis publici, hortetur omnes ad bonam vitam, an ſciant ea quæ ſunt ſalutis, intelligat.

75. *E captivitate Barbarorũ* reduces examinet bene, ne fortè habeant neceſſitatem ſe reconciliandi cum Eccleſia, non admittat facilè teſtimonia illorum de morte aliorum captivorum. ſolent enim multa mentiri. videat ne habeant aliam vxorem viventem dum aliam volunt ducere.

76. *Zyngaros* examinet. An vivant Catholicè? an ſint baptiſati, & confirmati? an Matrimonium contraxerunt cum ſolennitatibus requiſitis? an ſciant neceſſaria ad ſalutem? An ſint conjuncti in gradu prohibito? An fecerint Confeſſionem Paſchalem? An jejunia juxta ritum Eccleſiæ ſervaverint? An in morbo communicaverint, & extremã unctionẽ receperint? An illorũ mortui ſint cũ cæ-

re-

remonijs Ecclesiasticis sepulti? An inter illos sit aliqua doctrina Hæretica, aut Schismatica. de his Officialem instruat Parochus. iubeat illos audire concionē, abstinere à latrocinijs, & inspectione manuum.

77. Denuntiet Parochus *jeiunium Quadragesimale*, & explicet conditiones quæ ad illud requiruntur. Quibus conceditur uti lacticinijs, non ideò possunt uti carnibus, & reliqua observentur, quæ alibi scripsimus de jeiunio. *Quoad festa*, explicet sæpiùs obligationem illa celebrandi, & modum illa celebrandi. nec ulla indicat præter morem receptum.

78. *Opera servilia* diebus festis in his casibus potest permittere Parochus 1. Cùm pietas svadet, ut cùm pauper Ecclesia ædificatur, ut convehantur lapides, vel ut egena Monasteria juventur. si in aliqua Ecclesia non possit nisi his diebus iuvare 2. Cùm necessitas urget, ut emere pro illa die cibos. cum opus Medicinâ & apotheca, pane, carne pro viatoribus, aut infirmis, venam aperire, dare medicamenta, soleare equos cùm urge-

urget iter. deferre domum fænum pro animalibus. continuare iter. piscari, quando hi pisces non possunt capi nisi cælo tonante, & die festo tonat. 3. Vtilitas, fænum colligere si timeatur pluvia, vel in alijs rebus damnum. sed tamen prius Missa audiatur. Aliàs non non licet servilia facere post mediam noctem quæ præcedit festum. Prohibeantur mercatus publici, actus iudiciarij, iuramenta, executiones civiles, incarcerationes, comœdiæ prophanæ, apothecas aperire.

79. *Obedientiam debet Episcopo Parochus*, Ratio est S. Chrysost. hom. 2. ad Tim. 4. *Oportet naturales Patres affectu, & dilectione transcendere eum, qui Pater est animarum: sed & spirituales filios non segnius affici, quàm illi sibi, necesse est. Obedite enim* Hebr. 14. *inquit Præpositis vestris, & subditi estote illis, scientes quoniam ipsi vigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddituri. Nam dic oro ipse tanto periculo tui gratiâ subditus est, tu illi obtemperare detrectes in ijs, quæ tibi vtilia sunt, etsi enim ille omnia sua ritè disponat, quamdiu tu minùs* re-

rectè vales, angoris vacuus esse non potest, cùm duplex ratio ab ea sit exigenda. Iam verò considera, quantum periculi sit, per singulos Subditorum discuti, rationemq; pro omnibus reddere. Quantumvis illi honoris impendas, quantumlibet obsequij deferas, nihil his periculis refarre par illi poteris, qui animam suam periculo æternæ mortis deponit. & contra, neq; ad verba illi subijci vis. Præterea cùm ordinaretur in Sacerdotem promisit solenniter Episcopo obedientiam, & cùm teneret suas manu in Episcopi manu tacitum fecit iuramentum.

80. *Baptisati nomen* scribat in libro & Parentum ejus nomina & cognomina, si Infans sit illegitimus scribat quòd sit Patris & Matris incognitæ, vel ut est mos. Si Infans domi baptisatus, scribat quòd illum exorcisaverit & baptisaverit, & qui Patrini istis cæremonijs interfuerunt. *Pro Confirmatione* scribat, talis & talis illam recepit à tali Episcopo in tali Ecclesia in tali ætate & Parochi ni isti fuerunt tenentes, similiter *de nubentibus* Copulati sunt in tali Ecclesia

tali

tali die, cum talibus testibus, factâ inquisitione non est repertum impedimentum, & consenserunt mutuò. *Mortuos* etiam conscribat, tali die decessit N. N. sepultus in tali loco, decessit cum omnibus Sacramentis, per me Parochum, & fecit testamentum coram Notario N. adscribantur ibidem & legata pia si quæ fecit. Annotent etiam *excommunicatos* & ob quam causam.

81. *Sacristiani Officium est* custodire Ecclesiam, Sacristiam, res omnes Sacras mobiles, ornare altaria & exponere ea quæ sunt ad illorum ornatum suo tempore. Statim atq; hoc acceperit Officium faciat inventarium & præsentet Parocho, atq; id singulis mensibus faciat, & denotet si quid accessit, pullet campanam pro *Angelus Domini.* Videat ne aliquis pro nocte intra templum se abscondat, & hoc ipsum videat dum templum manè aperit. post Missas absolutas claudat templum, & nonisi pro vesperis aperiat, nisi populus habeat causam conveniendi. attendat ne res aliqua ipsi commissa destruatur. ne ali-

quis fur subintret. sit in Sacristia silentium. nec in ea confessiones audiantur nisi Clericorum & virorum singularium, vulgus autem non admittat. prohibeat ne illi fiant clamores aut tumultus, canes è templo expellat, intra cancellos altaris laicum non admittat, nec ad Confessionalia. tempore Divini Officii non in Sacristia sed in Ecclesia moretur indutus superpelliceo nec sine eo quidquam faciat circa altare in quo expositū SS. Sacramentū nec cū superpelliceo exeat ad plateam; si non est in Sacris nō tangat calices, patenas, corporalia, purificatoria nisi per strophiolū. Dū transit SS. Sacramentū in unū genu procidat, ante alia altaria caput inclinet, interrogantibus se svaviter satisfaciat, sed brevi responso. Ignotos Sacerdotes ad Missā non admittat sine testimonio. Cùm petitur Missa pro aliqua necessitate referat Parocho, & libello inscribat, & ubi satisfactū apponat notā. Lāpas semper ardeat ante SS. Sacramentū. Describat nomina Sacerdotū, ut sciat qui iam celebrârunt & qui celebraturi sunt. Missæ plures non

ce-

celebretur ſimul, nec in vicinis ſibi altaribus. Quando diſponit caſulas, ſupra quamvis ponat manipulum, ſtolam, cingulum, albã, humerale, ad partẽ Miſſale & ſuperpelliceum pro miniſtrante.

82. In altari ſint candelæ, crux in medio, puluillus, ſit prope parva campanula, ſit manutergium. ſit in altari tabula cum Canone. In Sacriſtia ſit vas pro lavandis manibus, mundi ſint urceoli, vinum etiam ſervet in vaſe mundo & clauſo, antequam Sacerdos prodeat ad altare accendat candelas. ſit mappa pro communione. Veſpere interroget Sacerdotem in quo altari velit celebrare, cũ vadit attendat ut fimbriæ deſcendant æqualiter, ſed non radant terram ut fiat ſatis obligationi in quovis altari, tempore humido hoſtias in loco ſicco habeat, pro concione pulſet, hoſtias quovis decimoquinto die renovet. mittat in cribrum ut fragmenta abſcedant, & illo cribro ad nihil aliud utatur. Poſt Miſſas tegat altaria, & ſi opus claudat templum, mundet candelas, nec eas deponat in altari, evacuet urceolos & lavet

& exſiccet. apparatum componat, calices loco debito reponat. antequam incipiat officium apparamenta altaris ſi opus, mutet ante veſperas. quælibet res ſuum habeat ſeparatum locum, caveat ne aliquid malum odorem contrahat, habeat atramentarium pro notandis neceſſarijs, & librum Spiritualem quo ſe occupet, habeat ciſtulam pro elemoſy- nis, ſed apud Parochum ſit clavis. Sit pavimentum mundum, altaria ornata.

83. *Mundities circa Sacra* in his conſi- ſtit. Vt Eccleſia bis in anno munde- tur à ſummo ad imum, à pulvere & telis aranearum, & hoc ipſum fiat circa fa- ciem Eccleſiæ, mundando alis vel cau- dâ vulpinâ eminentias, vel fiat per ho- mines huic aſvetos operi, & hoc fiat circa res pictas vel inauratas; vas aquæ benedictæ, ſepulchrorum monumenta, altaria, ſuperficies Sacrarij, vaſa quæ ſer- viunt pro abluendis manibus Sacerdo- tum, res quæ ſunt ex lapide in Eccleſia vel Sacriſtia, res aliæ laventur aqua cum arenâ, aliæ cum aqva & cinere, re- liquæ politæ eo modo laventur qua

la-

lavatur cryſtallus vel vitrum. anguli omnes purgentur, & eadem diligentia fiat inSacriſtia. mundentur etiam res facta de ligno, ſedes, pulpita; candelabra chori, lampades, confeſſionalia, imagines, pauimentum templi & Sacriſtiæ quâvis ſeptimanâ purgetur, pes altaris, portæ Eccleſiæ, aſpergat autem aquâ ne ſe pulvis elevet, ſed leviter. et ad hoc inſtrumenta habeat ſacriſtianus in loco ſeparato. pavimentum etiam quovis anno bis munderur. ſpatium ante Eccleſiam purgetur ante feſta ſolennia, neq; in illo permittantur aliquæ herbæ creſcere. pavimentum campanilis quovis menſe purgetur, armaria verò Sacriſtiæ quovis menſe bis in anno tempore ſereno nudentur altaria poſt Miſſam. Quando mutat mappas altaris, etiam mundet lapidē. Omni menſe purget caudâ uulpis imagines, armaria in quibus ſunt urceoli die mundentur octavo, vaſa argentea non manu nudâ ſed per ſtrophium tangantur. Imagines omni menſe detergat caudâ vulpinâ & earum ornamenta, tabernaculum, & ſimi-

milia. Armariū in quo servantur urceoli dic quovis octavo purgentur. cum mundat vasa inaurata, caveat ne detergat aurū, lateres etiā altaris curabit eluiaquâ tepidâ intra dies quindecī, & aqua inSacrariū effundatur, lintea quæ serviunt cultui DEI separatim ab alijs laventur, &c &c.

84. *Necessaria ad altare.* sunt Crucifixus, candelabra, tabula cum Canone corporalia aliquot, mappæ magnæ quatuor. antependia pro quinq; coloribus, pannus quo tegatur altare post Missam, & alter pro gradibus altaris. *Ad Missam* Humerale, Alba, Cingulus, Manipulus, Stola, & casulæ pro quinq; coloribus, hoc est, Albo, nigro, rubro, viridi, violaceo. *Pro ministrantibus solenniter.* Pluvialia, Humeralia, Alba, Cingula, Dalmatica, Manipuli, Stola, velum pro Subdiacono in quo tenebit patenam & portabit calicē, pro alijs superpellicea.

85. *Pro Sacramentorum administratione necessaria sunt.* Velum pro pixide, pixis una quæ in ciborio maneat, altera in qua deferatur ad ægrum Eucháristia, laternæ, candelæ, campanula, mappa, cru-

crucifixus qui possit ad infirmum portari tria vasa cũ Sacris oleis, bursa pro infirmis cũ patena, purificatotio, corporali. Pro Baptismo, sal in vase ligneo, vas quo excipiatur aqua defluens è capite baptisati, linteolũ quo ejus caput abstergatur.

86. *In Sacristia sunt necessaria.* vas mundum pro aqua benedicta, aliud pro lavandis manibus & manutergia, vasculum pro hostijs, & aliud pro communicatorijs; vas pro lavandis calicibus, patenis, purificatorijs, & corporalibus. Armarium in quo serventur calices, purificatoria, corporalia, aliud in quo serventur vestimenta, aliud in quo ferrum pro hostijs faciendis, & pro scindendis maioribus & minoribus, mappa, supra quam locentur calices. oratorium, tabulæ cum orationibus ad Missam præparatorijs & gratiarum actorijs. Tabella in qua sunt inscriptæ reliquiæ hujus Ecclesiæ, altera in qua indulgentiæ, in alia describantur quâ horâ quis Sacerdos celebrare debeat. in alia obligationes Anniversariorum. in alia quâ die quis debeat celebrare in quo sacello, notet etiam

qua

quâ die ſunt renovati Communicantes, ſit tabula Bullæ Cœnæ Domini Caſus Papæ & Epiſcopo reſervati,

87. *Libri ad Eccleſiam pertinentes.* Breviarium, Diurnale, Pſalterium, Antiphonarium, Graduale, Miſſale. Officium mortuorum. liber baptiſatorum, & alius Confirmatorum, contrahentium Matrimonium, De ſtatu Parochianorum, De bonis immobbilibus Eccleſiæ, Sacellorum, Oratoriorum, Capellarum. Liber excommunicatorum & abſolutorum. Concilium Tridentinum, Catechiſmus, Synodi. Inventarium Sacriſtiæ.

88. Scribit Thomas Cantipratenſis Epiſcop⁹ in hæc ferè verba. Anno 1238. fui Pariſijs ubi munus Epiſcopale loci illius obtinebat Guilhelmus, qui antea profeſſ⁹ fuit Theologiam, hic omnes Theologiæ Doctores convocavit ád Capitulum Fratrum Prædicatorum (nam de illo Ordine ipſe fuerat) ibi propoſita eſt quæſtio de pluralitate Beneficiorum Eccleſiaſticorum. multa & longa fuit de hoc materia in utramq; partem diſputatio, &

tan-

tandem conclusum, quòd nemo salvâ conscientiâ possit plura retinere Beneficia, imò nec duo, si unum habet in redditibus 15. libras monetæ Parisiensis, hoc est quod sufficit ad sustentationē. Tribus annis antè, fuit adhuc magis longa, & exacta de hoc ipso disputatio, in qua omnes fuerunt Doctores Theologiæ & circa hoc ipsum eodem modo determinaverunt excepto Doctore PhilippoCancellario vniversitatis Parisiensis & DoctoreArnoldo qui postea fuitEpiscopus. Ecce quidPhilippo accidit;morbo correptus agonisabat, Guilelmus de salute ægri solicitus accessit illum interrogando; an velit à sua sententia recedere de pluralitate Beneficiorum, & cùm teneret plura, an solo uno contentus esse vellet cæteris renunciando. insuper illi promittebat Guilelmus, si Philippus de illo morbo convalesceret, daturum se illi de suo quantum per illam resignationem amisisset. sed non admisit Philippus & sic dicendo se velle experiri, an pluralitas Beneficiorum sit causa damnationis, expiravit. Post paucos di-

es

es cùm Episcopus post Matutinum vellet orare, eaq; de causa lumen haberet, videt ante se umbram hominis turpissimam, facto signo S. Crucis interrogat, an hic, qui illi apparet, sit in via saluits, respondit umbra, sum à Deo abjectus. ad hoc Episcopus. Quis ergo es tu? Ego sũ Philippus Cancellarius infelicissimus. Ad hoc Episcopus, quomodo hoc: quis est status tuus? Vmbra, manus imò pessimus, quia sum condemnatus ad mortem æternam. Episcopus, dic mihi causam tuæ damnationis? Respondet umbra. tres sunt causæ meæ damnationis. Prima, quia fructus meorũ Beneficiorũ parcâ manu pauperib⁹ cõmunicavi. Altera, quia contra opinionẽ plurimorum defendi licitam esse pluralitatem Beneficiorum. Tertia gravior & turpior alijs, vitium carnis, in quo cum scandalo hæsi multo tempore. quo dicto, interrogauit Episcopum, an mundus iam fuisset finitus? Miror, quòd tu cùm sis homo tantoperè doctus, hanc quæstionem facis, videndo me esse vivum, & sciendo quod ante finem mundi

omnes

omnes sint morituri. Vmbra ad hoc. Non mireris, quia, *nec scientia, nec opus, nec ratio est apud inferos.* & hoc dicto disparuit. Narravit hoc factum suis Clericis Episcop⁹. Simile ibi alterũ refert de alio qui ideò damnatus quia duo habuit Beneficia, idem Thomas Cantipratensi Ord. Præd. Episcopus Suffraganeus Archiepiscopi Cameracensis, fuit cum S. Thoma Aquinate discipulus Alberti Magni.

89. *De residentia* hæc appono ex Bonacinæ speciali de hoc tractatu qui sua dicta munit pluribus DD. probatis, Residere est consistere in loco in quo quis habet beneficium. vnde qui in eo non habitat vel ab eo procul. non residet. vnde Parochus non residet si à Parochiæ terminis adeò distat ut Parochianis ad illum sit difficilis aditus, pro necessitate Spirituali & Sacramentis quia non inter fines est ĩtra quos propter residẽdũ est. *Duæ Parochiæ unitæ* sunt per modũ unius. Obligantur ad residendum omnes qui onus per seipsos exercere tenentur. Qui non exercet curam etiamsi in Parochia

chia maneat non censetur residere, perinde enim ac si non resideret, unde etiam fructus tenetur restituere, nec satisfacit si residens per alium curam exerceat, quia hoc est onus personale Parochi, sicut etiam non potest per alium orare Breviarium, quia ipsi & non alteri cura commissa. unde si omnem curam per alium exercet, graviter peccat.

90. *Iure naturali tenetur* Curatus residere in loco Beneficij, Quia qui suscipit Officium tacitè se obligat ad onera officij. Etiam *jure Divino* ut patet ex Trid. sess. 23. cap. 1. *Cùm præcepto Divino mandatum sit omnibus qiubus cura animarum commissa est, oves suus agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbiq; Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere.* Sed si præcepto divino obligatur ad residentiam, quomodo circa illam aliquando dispensatur? ℟. Papã posse dispensare in ijs quæ sunt formaliter de jure Divino vel naturali, sed radicaliter & fundamentaliter pendent ab Ecclesiæ institutione. ita se habet residentia, quatenus facta est ab

Eccle-

Ecclesia Beneficiorum divisio & quilibet suo Beneficio deputatus est, quatenùs Beneficiarius pactum inijt cum Ecclesia, quod pactum subest potestati Ecclesiæ. Sed dices. Parochus recipit Parochiam ab Episcopo, ergo & præceptum residendi, & non à Deo, ergo etiam adnexam Parochiæ residentiam. ℞. Acipit beneficium ab Episcopo, ideò non est de jure divino, ut hic Petrus sit Parochus, sed ea quæ sunt huic Beneficio adnexa sunt de jure diuino. quippe quia adit hæreditatē jure humano, sed de jure altiori tenetut debita & pia legata illi adnexa solvere. Si Parochus ultra bimestre eodem anno sive continuatum, sive interruptum abfuerit sine causa ab Episcopo approbata pro rata absentiæ fructus non faciat suos, nisi subira excusset necessitas. si tamen hoc fiat sine damno ovium, tenetur enim interea substituere idoneum. & potest Episcopus prohibere Parocho, ne vel per biduum absit, sed excommunicare illum ideò non potest, quia hæc absentia levis. ita DD.

91.

91. Parochus graviter peccat si non resideat, quia in re gravi contra præceptum grave peccat. Præterea Trid. sess. 23. cap. 1. de Reform. non residentes, *quodsi per edictum citati, etiam non personaliter contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinarijs per Censuras Ecclesiasticas & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaq; juris remedia, etiam vsq; ad privationem compellere.* Violat & ius naturæ, & Divinum, Ecclesiasticum si non resideat. Residentiæ nomine duo veniunt, sit in loco, & ut operetur & si posterius præstare non possit per se, curet per idoneum, qui ijsdem pœnis subiacebit, si non residerit. restitutio facienda pro fabrica Ecclesiæ, vel pauperibus. & hoc ante judicis sententiam. quia ita Trident. clarè, *nec tutâ conscientiâ, alia etiam declaratione non seqvuta* (fructus) *illos sibi retinere, sed teneri illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare.* Sed hanc pœnam non incurrit qui solùm bimestri abest. Si absit plùs quàm trimestri ob causam ab Episcopo probatam. facit fructus suos. sed habeat substitum

ſtitutum eum portione congrua. ſed non ſufficit tacita vel præſumpta licentia, niſi ſit caſus repentinus & periculum eſt in mora. ſed tamen quando primùm poterit petat licentiam. Qui Religionem ingreditur habens Beneficium poteſt ex eo fructus percipere quamdiu eſt novitius, dum habeat ſubſtitutum.

92. *Quatuor ſunt cauſæ propter quas concedi poteſt abſentia à Parochia.* Christiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, & evidens Reip. neceſſitas. ita Trid, ſeſſ. 24 cap. 12. Parochus in conſcientia tutus, ſi non reſidet ob inimicitias cum periculo vitæ, ſubſtituto alio & Epiſcopo conſentiente. Similiter qui conſentiente Epiſcopo non poteſt reſidere, ob morbum non perpetuum, ut curetur, ob perpetuum verò non excuſatur, ſi aliquomodo poſſit officio ſuo ſatisfacere, idem de ſene, ſed habeat ſubſtitutum aſſignatâ illi congruâ portione. Quod attinet peſtem, videantur Doctores S. Congreg. Card. teſte Garzia num. 108. cauſam ſtudij non exiſtimat hoc tempore ſufficientem ut Pa-

rochus ſtudij cauſa abeſſe poſſit. quare ſi abſit non facit fructus ſuos, quia nullus hoc tempore ad Parochiam admittitur, niſi per examen idoneus repertus fuerit. licentia abſentiæ debet in ſcripto ab Epiſcopo obtineri, quia ſic præſcribit Trident ſeſſ. 23. cap. 1. de reform. quare verbo data non ſufficit, nec defendit ab amiſſione fructuum.

93. *Quarta funeralis de cera* debetur illi Eccleſiæ in qua quis de jure ſepeliendus erat, quia illa ipſi Sacramenta adminiſtrabat. quare ſi quis ante mortem domicilium mutavit quarta non debetur priori Parochiæ. Parochus ſi ſuum Parochianum inducat ut in ſuo templo ſepeliatur. docet Bonacina quòd nullam incurrat cenſuram. cæterum licitum eſt cuiq; eligere ſepulturam ubi vult. In idubio autem præſumitur ibi tacitè elegiſſe ubi ultima percepit Sacramenta. *c. is qui de Sepul. in* 6. ſed Minorennes & Regularis non poſſunt ſibi eligere ſepulturam. Quicunq; præter Parochum proprium Clericus inducit aliquem ad eligendam in ſua Eccleſia, vel non ad

immutandum electam, incurrit excommunicationem ipso facto Papæ reservatam. *Clem. fin. de pænit §. si* 11. & tenetur restituere cadaver si petatur, & omnia quæ occasione ejus sepulturæ ad ejus Ecclesiam pertinent, alioqui Ecclesia illius cum cæmeterio manent sub interdicto Ecclesiastico.

94. Parochiæ plures non possunt uni commendari, nec una ultra sex menses. *de elect. in* 6. *c. Nemo.* Cùm Parochia vacat statim ab Episcopo provideri debet de Vicario cum portione congrua. *Trid. sess.* 24. *de reform. c.* 18. Collatio Parochiæ sine examine est nulla. *Pius V. constit.* 33. Duæ Parochiæ eidem commendari non possunt, nec una legitimam non habenti ætatem. *De elect. in* 6. *c. Nemo* Parochus fieri non potest homo avarus & rapax. *Conc. Paris.* 4. *l.* 1. *c.* 25. nec potest fieri qui nescit latinè loqui. Conc. Tolet. 19. c. 20 nec qui nondum habet annos 25. *Conc. Later.* 3. *c.* 73. S. præfixo tempore non ordinatur, est removendus. Trid. sess. 24. de ref. c. 12. intra annum debet ordinari in Præsby-

terum, alias deponatur, & si anno elapso non fecerit, non potest iterum eligi. *de elect. cum cunctis. §. inferiora.* & nisi ordinetur, tenetur ad restitutionem fructuum. ibid. Non potest esse simul Archidiaconus. *Honor. III.* Parochis imperitis dandi sunt Coadiutores. *Trident. sess. 21. de reform. c. 6.* Parochus non potest duas simul habere Parochias. *Later. 3. c. 13.* nec potest acceptare secundam nisi relinqvat primam. *De præbend.* Non potest per alium gubernare Parochiam, sed per se, *Later. 4. c. 32.* In necessitate potest Episcopus dispensare in residentia cum Parocho ad bimestre sed in scriptis, ultra bimestre debet esse causa gravis. *Trid. sess. 23 de refor. c. 1.* & debet dari Vicarius substitutus. Cum sponsi sunt ex diversis Parochijs, in utraq; bannæ proclamentur, & requiritur licentia alterius Trid. Assistens Matrimonio in tempore indebito, vel non in Ecclesia post Missam, suspenditur ab Officio. non potest interesse Matrimonio hominis vagi sine licentia Episcopi. Trident. sess. 24. de reform. cap. 7.

95. Parochus tenetur ad reparationem Ecclesiæ *Later.* 3. Tenetur die Dominico annuntiare festa & ieiunia. Trident. 25. docere levantes in Baptismo quam contrahant cognationem, scribere eorum nomina, interrogare eos quæ ad eos spectant, quos eligant ad tenendum, si enim alij præter eos tenent, non contrahunt cognationem. *Trid. sess.* 24. *de reform. c.*2. tenetur docere quibus temporibus fieri non possunt Matrimonia. *Iqid.* tenetur docere pueros doctrinam Christianam *ibid. c.* 4. Non potest absolvere à casibus Episcopo reservatis. *Conc. Raven. c.* 8. Tenetur quolibet anno scribere nomina eorum qui ad annos discretionis perveniunt, ut sciat qui confessi sunt. *Conc. Tolet.* 19. *c. ult.* Non potest Parochus aliquid exigere pro collatione Sacramentorum, vel alio Spirituali sub pæna suspensionis ab officio, nisi spontè sit oblatum. *Conc, Colon.* 2. *p.* 8. *c.* 1. Tenetur intra duos Menses à die institutionis emittere professionem fidei in manu Episcopi aut Vicarij, & iurare quòd stabit sub obedientia Ecclesiæ Ro-

manæ. *Trid. sess.* 24. *de reform. c.* 12 Tenetur iurare in manu Episcopi quod simoniam non commisit in adeptioneBeneficij, & quòd à Patrono habuit sine dono, pacto, promisso. quod beneficium illud curatū habeat quod sufficit ad sui sustentationem. *Conc. Mogunt.* 4. *c.* 68. Tenetur per seipsum immediatè exercere suum munus & officium, scilicet cantare Missam &c. sub pæna privationis. *Trid. sess.* 22. *de ref. c.* Tenetur concurrere ad fabricam Ecclesiæ propriæ. *Con. Aurelian.* 4. *c.* 25. Non potest Ecclesiam censualem reddere ullo modo sine licentia Episcopi. *Conc. Later. de pact. c.* 9. Tenetur habere exempla, scripturas, & instrumenta de bonis, & redditionibus Beneficij, & debent esse duplicata, ita quòd unum sit apud eū, aliud in archivo Cathedralis, *Concil. Mediol.* 1. *p.* 2. *ut.*

96. Non potest Parochus sui Beneficij fructus dare consanguineis aut familiaribus, sed tenetur dare pauperibus. *Trid. sess.* 25. *de refor. c.* 5. Tenetur exercere hospitalitates. *Ibid. c.* 8. Tenetur satisfacere oneri Beneficij, aliàs non facit

cit fructus ſuos, & ſacrilegus eſt. *Mediol.* 1. *p.* 2. Domus dotales Beneficij, feuda, & poſſeſſiones reſtaurari debent à poſſeſſore beneficij. *In reform. Cler. Germ. c.* 11. Beneficiatus inveniens debita & legata Prædeceſſoris, tenetur ea ſolvere cum fructibus inexactis, ſi per alia bona ſolvi non poſſunt. *Iulius* 3. *conſtit.* 7. Non incedens in veſte decenti poſt monitionem Epiſcopi, eſt privandus beneficio. *cauſa* 21. *q.* 4. *c. ult.* Non poteſt per alium ſupplere reſidentiam, ſed per ſeipſum tenetur reſidere *Conc. Mogun.* 4. *c.* 71. Fructus non reſidentis applicandi ſunt fabricæ Eccleſiæ vel pauperibus. *Ibid.* ſed non reſidens propter ſervitium Eccleſiæ cenſetur eſſe præſens, & percipit fructus. *Conc. Conſtantien. ſeſſ.* 29. Subſtituens ſe in examine pro Parocho incurrit excom. & omnibus beneficijs privatur, & hoc ipſo facto. *Paulus IV. Conſtit.* 12. Parochiam poſſidens pacificè per triennium, dummodo illam non habuerit ſimoniacè, neq; ſit intruſus, non poteſt ab aliquo moleſtari ſuper illa. *Vrb.* 8. *conſtit.* 6. Beneficium

unum

unũ habens ſuſtentari quo poſſit, non poteſt retinere aliud. *Trid. ſeſſ.* 64. *de reform. c.* 17. Diſpenſatio facta pro ſecundo Beneficio non factâ mentione primi, nulla. *Later.* 3. Beneficia plura quàm duo haberi non poſſunt *Later.* 5. *ſeſſ.* 9. & ſi plura ſint incompatibilia, omnibus eſt privatus ipſo iure. *Leo X. Conſtit.* 7. Beneficium impetrans cum pacto ut alius poſt mortem ejus ſuccedat, nulliter impetrat. *Extrau. de pactionibus c.* 8. Similiter qui impetrat cum pacto augendi penſionem. *Later.* 3. *in appendice de pactionibus* 92. *c.* 8.

97. Beneficium impetrans Vicarius perpetuus, ſi habet unde vivat, & non facit mentionem de Vicaria perpetua, nulliter facit. *de reſcr. cap. Poſtulaſti.* Fingens ſe Clericum cùm non ſit, nulliter impetrat, & tale beneficium poteſt conferri alteri *De tranſact. c. ex literis.* Beneficium curatum impetrans à Papa, ſi tempore datæ non habet ætatem, nulla eſt impetratio. nec tunc, nec pro tempore, quo eam habebit. *De reſcript. in* 6. *c. Si eo tempore.* Sed non curato frui po-

poteſt quando habet ætatem. *Ibid.* Illud procurans quod per coactionem & vim Principum &c. quis renunciavit, nulliter impetrat. excommunicationem incurret, ipſo facto privatur obtento, & ſi habet alia privatur fructibus eorum per triennium. *Clement. de pænis. cap. multorum:* Obtinens ad preces hæreticorum. favorum &c. nulliter obtinet, & ipſo facto privatus eſt obtento. *de hæret. in 6. c. qvicunq; §. ad hæc.* Impetratio non factâ mentione poſſeſſionis alterius coloratâ, eſt nulliter. *de conceſſ. præbend. c. cùm noſtris* Qui poteſt Parochiã conferre, non poteſt ſibi illam retinere. *De ex exceſſib. Prælat. c. ad aures.* Impetrata Parochia ab abſente eſt valida. *De præben. c. Accedens.* Qui obtinet à Patrono abſq; legitima præſentatione, ipſo facto eſt illâ privatus, & Epiſcopus poteſt alteri conferre. *Colonien. 3. & de altero modo c. 10.* Obtinens alterius quod ipſe tenebatur dimittere. nulliter obtinet. *De præbend. in 6. c Si beneficia.* Impetrari non poteſt à Iudice vel à cognato Iudicis in cauſa pertinente ad privationem Beneficij.

Pius 4. *constit.* 11. Impetrans tenetur exprimere quòd in mense Papali vacet. *Vrban.* 8. *constit.* 6. Impetrans per mortem alicuius, si ante mortem illius obtinet, vel ante tempus quod erat necessarium ut de loco mortui veniret nuntius, nulliter impetrat. similiter si obtineat alicuius senis tanquam collitigans. aut si impetret vacaturum ob privationem ex delicto. si impetret ante sententiam nulliter impetrat. *Ibid.*

98. Parochia non potest obtineri cum pacto dandi partem fructuum praesentanti, aliàs ipso facto privatur beneficio & officio donec à Papa dispensetur. *Conc. Germ.* 1. *c.* 10. Nec potest conferri cum pacto, ut recipiens, ad nutum dantis possit renuntiare *Mediol.* 1. *p.* 2. Pro Parochia litigiosa potest fieri amicabilis compositio. *De transact. super eo* Non potest obtineri per obsequium alteri praestitum, aliàs est Simonia. *De Simonia cap. cum essent.* Nec solvere potest laicis, licet sit fundatum à consangvineis eorum. *Conc. Claromont. c.* 6. Si praesentatus solvat praesentanti nulla est praesenta-

tatio, & nunquam præſentari poteſt ad alia ſive in hac ſive in alia Eccleſia. *Conc. Sabinen.* c. 20. Parochiam dantes, vel præſentantes, nihil poſſunt à Parocho accipere, neq; ab ejus miniſtris & qui ſic accipit beneficium, fructus non facit ſuos. præſentans verò privatur iure præſentandi. *Conc. Mediol.* 1. *p.* 2. Parochiam obtinens ex præſentatione debet docere quòd fructus illius ſufficiant ad ejus ſuſtentationem, & quòd omnes fructus obtinuerit à Patrono, vel alijs, aliàs nulla eſt collatio, & ipſo facto privatus eſt beneficio. *Mogunt. c.* 68. Beneficia vacatura nec dari validè poſſunt nec promitti. *Trid. ſeſſ.* 24. *de reform.* c. 19. Beneficia cum jure patronatûs nunquam uniri poſſunt. *Trid. ſeſſ.* 25. *de refor. c.* 8. Parochiam perdit qui propriâ authoritate illam permutat. *De rerum permut. c. Cùm olim.* & ob permutationem reſignata non poteſt alteri conferri quàm permutanti. *Clem. de rerum permut. c. unico.* Renuntians non poteſt illam repetere. *De renunt. c. ex tranſmiſſa* niſi id fecerit ex metu damni imminentis. *De his quæ vi*

&

& metu. ad audientiam. Renuntiatio facta in manu laici, non tenet. *de renunt. c. in dubijs* ficut & facta á ſpoliato. *De reſtit. ſpoliat. c. ſollicité.* Poteſt quiſq; beneficio ſuo renuntiare. *De crimine falſi c. finali.* etiam per Procuratorem. *Clement de renunt. c. unico.* Parochiæ renuntians propter ſimoniam, ſi reaſſumitur. non poteſt ex vi primæ electionis aliquid ſibi vendicare. *De Simonia c. ex inſinuatione.* Qui cogunt ad renuntiationem incurrunt excommunicationem. *Clem. de pænis c. Multorum.* Renuntians nihil poteſt pro ſe retinere vel recipere à ſubſtituto. *Oxon* 1. *c.* 4. Si renuntiatur Parochiæ iuxta totum renuntianda eſt. *Oxon.* 1. *c.* 4. Non poteſt renuntiari Beneficio ad quod ordinatus niſi habeat unde vivat, & in reſignatione facienda eſt mentio, quòd ſit titulus ſuæ ordinationis. *Trid. ſeſſ.* 21. *de reform. c.* 2.

99. Non poteſt reſignari Beneficium in favorem alterius, ſed in manu Ordinarij reſignandum. *Later.* 3. Magno labore acquiſitam non præſumitur ſponte reſignari. *De reſignat. c. Super hos.* nec fie-

fieri poteſt ad intuitum reſignantis, nec Conſangvineorum ejus, neq; Epiſcopi, ſub excom. Papæ reſeru. & collatio eſt nulla. *Pius V. Conſtit.* 58. nec poteſt renuntiari Filio. Renuntians ſi eſt abſens, per Procuratorem tenetur conſentire & jurare. Pro Beneficio litigioſo nihil ſolvi poteſt ad redimendam vexationem. *De conſecr. cap. ſuper eo.* Beneficium pacificè poſſidens per triennium, dummodo ſimoniacè non habuerit, vel ſe non intruſerit, non poteſt moleſtari ſuper eo & impetrationes factæ ab alijs ſunt nullæ; & lites motæ ſuper ijs ſunt extingvendæ. *Vrb. 8. conſtit.* 5. Qui propria authoritate aſſumit, aliquod Beneficium, excommunicatur niſi recedat. *Tolet.* 18. *cap.* 4.

100. *Ex Collect. Barboſæ in ſeſſ.* 1. *de reform. c.* 1. *n.* 62. Parochis non licet cauſâ ſtudiorum à ſuis Parochialibus Eccleſijs abeſſe, poſt Conc. Trident. nec Epiſcopus ad id licentias concedere poteſt ita deciſum. Sed quando Parocho gratia conceditur per Sedem Apoſtolicam ſtudendi facultas ut fructus ſuos faciat

hæc

hæc qvinque exiguntur. 1. ut studeat Theologiæ aut iuri Canonico in celebri vniversitate. 2. ut non sit 30. annorum nisi iam studia incepisset, & illa nondum absolvisset. 3. ad quinquennium tantùm à principio studij computandum, adiunctâ clausulâ ut intra annum (in Sacerdotem) promoveatur. 4. ut interim cura animarum per idoneum Vicarium ab Ordinario eligendum, assignatâ illi congruâ portione fructuum exerceatur. In Parochiali quamvis paupere debet asservari Eucharistia. *Ibid. sess.* 13c. 6. Parochus tenetur in sua Parochia residere quamvis in ea tres sint vel quatuor incolæ. Parochialem habens cum Concionatura tenetur in Parochiali residere. *Pius V. cupientes*.. Parochis imperitis assignet Episcopus coadiutorem cum congrua ex fructibus portione. *Trid. sess* 20. *de refor. c.* 6. Parochi in illis diebus, quibus Missam tenentur celebrare, non possunt pro ea eleemosynam recipere. *sess* 22. *c.* 8. Debent residere etiamsi aura sit illa contraria, etiamsi inimicitiæ sint capitales, sed ad sex menses potest à Congregatione

ne Episcoporum dispensari. *ita eadem Congr.* 15. *Febr.* 1659. Debet etiam senex, debet etiam tempore pestis, licet per alium possint ministrari Sacramenta. *Ad Trid. sess.* 23. *de reform. c.* 1. *n.* 60. nec primo bimestri abesse potest sine licentia Episcopi in scripto *ibid.* nec substitutum relinquere inconsulto Episcopo, & causa iusta: si autem sit ficta, peccat mortaliter & fructus non facit suos. *ibid.* ut quis privetur ob non residentiam debet præcedere una citatio personalis, vel tres in Ecclesia & ab ultima expectari sex Menses. *ibid.* Parochus potest promoveri ad Sacerdotium, etiamsi accipit Parochiam non habens aliquem ordinem Sacrum. approbatur solùm in eo loco ad confessiones, in quo habet Parochiam & dimisso beneficio novâ indiget approbatione. Approbatus potest suorum audire confessiones.

101. Parochus diebus festis Missam celebrare debet in Ecclesia propria & non in alia. *Congr. Conc.* 1620. Beneficia curata nec in perpetuum, nec ad tempus habere possunt Regulares, quamvis Cano-

nonici ſint. *Barboſ. in Deciſion.* Cadaver ne ſepeliatur prohiberi non poteſt occaſione juris ſepulturæ, cùm nulla ratio patiatur Chriſtianæq; pietati ſit repugnans maximè verò ob pecuniarum intereſſe, cadaver inſepultum remanere. *Congr. Epiſc.* 17. *Sept.* 1617. Parochus debet reſidere in loco, ubi ſita eſt Eccleſia Parochialis, etiamſi illi eſſet datus coadiutor ratione infirmitatis. *Congr. Conc. apud Barboſſ.* & ſi non habeat domum propriam in loco, ubi reſidere tenetur aliquam conducere debet. *ibid.* neq; excuſatur à reſidendo etiamſi capellanum retineat inParochia, & ipſe accedat ſingulis diebus feſtis. *Congr. Conc.* 1627: & ſi hoc non fecerit tenetur ad reſtitutionem fructuum. *Cong. apud Barboſ..* Poteſt ſtatuere Epiſcopus ut nec per duos dies abſit Parochus ſine illius licentia *ibid.* non poteſt per hebdomadam abeſſe ab Eccleſia ſine licentia relicto Vicario idoneo approbato. *ibid.* Parocho poſt Trident. non licet ab Eccleſia causâ ſtudiorum abeſſe, neq; id Epiſcopus concedere poteſt, & ſi conceſſerit. non ſuffragabitur.

Congr.

Congr. Conc. 1595. Resignans Beneficium potest rogare ab Episcopo ut conferat, à se nominato. *Barbos. de potest. Episc. alleg.* 65. Liberum est Parocho ut cuicunq; approbato confiteatur. *Congr. Episc.* 1501. Cùm Clericis in iure præcipitur, aut prohibetur, intelligitur de ijs qui sunt in Sacris. *Sa. V. Clericus n.* 2.

102. Prædicans errores, aut scandala disseminans, interdicatur ab Episcopo. *Trid. sess.* 5. *c* 3. nec certum Antichristi diem aut iudicij prædicent, neq; suas revelationes, neque vitia Episcoporum, aut aliorum Prælatorum sugillando mordeant: & hæc tria prohibentur sub pœna excommunicationis reservatâ absolutione Papæ. *Leo X. an.* 1516. Ne historias apocryphas narrent, neq; miracula non probata, neq; fabulas ineptas, neq; hæreticorum opiniones referant apud imperitos. nec quanquam nominatim, aut tacitè illum designantes, insectentur. Indulgentias ne publicent sine consensu Episcopi. *Conc. Mediol.* 1.

103. Parochi approbati ad confessiones pro sua Parochia non sunt pro to

Diæcesi, & dimissâ cessat approbatio. *Praxis nova Episc. p. 2. c. 2.* neque alius præterquam Episcopus potest approbare Confessarios. *Barboss. alleg. 2.* Qui fuerint approbati sine examine, possunt suspendi & examinari *Congr. Episc.* 1615. non approbati si audiant excommunicati sunt & confessio est nulla. *Mediol. 1.* Prohibiti audire confessiones valet absolutio si sit approbatus, & non est illi sublata iurisdictio. *Sà V. Confessor n.* 11. Confessionalia non sint in angulis & cellulis sed in Ecclesia in aperto loco, Mediol. 2. habeatur ibi Bulla cænæ, & tabella casuum reservatorum. *Mediol.* 4. Superpelliceum & stola adhibeatur à sæculari. *Mediol.* 5. Confessarius sollicitans Pænitentē, si vel agat Confessarius sollicitans Pænitentem, si agat Confessarius ut ab alio fiat peccatum, sive antè, sive post immediatè, sive occasione immediatè, sive occasione confessionis; eâ etiam non seqvutâ, sive extra Confessionem, sed in loco confessionis, deferri omninò debet, & Pænitens de hoc moneri. *Pius IV.* Ex causa concernente Confessionem potest

Epi-

Episcopus suspendere Confessarium absolutè approbatum. item si sit valdè scandalosus *Congr. Episc.* 1630.

104. *Pixis* ex ebore non sit pro Eucharistia. *Congr. Episc.* 1616. Ministrans Eucharistiam, vel ad Infirmum deferens, nihil omninò recipiat, etiam à spontè dantibus sub pœna suspensionis à Divinis ipso facto. *Mediol.* 7. Purificatio nunquam detur in vase Sacro, vel formam calicis habente. *Mediol.* 1. Reis capitali sententiâ damnatis, etiam manè quando exequenda est, potest dari Eucharistia. *Congr. Episc.* 1590. etiam non ieiunis. *Sà V. Eucharistia num.* 2. Nunquam ad ægrotos deferatur ut eam tantùm adorent. *Praxis Episc. V. Eucharistia.* Putrefactis hostijs in pixide, custos earum triginta diebus pæniteat. *Silv. V. Eucharist.* 20. Qui incautè eam dimiserit, etiamsi nihil nefandum acciderit tribus mensibus ab officio suspendatur. *Ibid.* Non fiat concio coram Sacramento exposito capite tecto. *Congr. rituum* 1630.

105. Sepultura nullo respectu retardetur. *Congr. Episc.* 1917. sed non fiat ante

12. horas ab obitu, & qui repente obeunt, ante horas 24. *Mediol.* 5. Accensæ candelæ deferantur à Clero, nec extinguantur nisi finito officio *Mediol.* non portent laicum Ecclesiastici. *Mediol.* 6. non inferatur cadaver in Ecclesiam inter Missæ majoris celebrationem. *Mediol.* 1. Quod nomine campanarum seu Sacristiæ datur Episcopo concedente, id verè in eos usus insumatur. qui crucem tulerit, vel campanas pulsaverit, accipiat quod eo nomine statutum est. *Mediol.* 4. Cerei circum cadaver, & in altaribus accensi, Sacristiæ addicantut, & postea ad Missas adhibeantur, & nullo modo vendantur, sine licentia Episcopi. *Mediol.* 1. *c.* 2. qui supererunt, Parochi erunt, vel ad quos de iure. *Mediol.* 2. Nulla pactio vel pignus fiat, piæ tamen consvetudines serventur. *Mediol.* 1. Pro loco in quem mortuus infertur, ne quidquam prorsus exigatur, nisi pia adsit consvetudo, neque nomine cenotaphij. *Mediol.* 4. Pauperum cadavera gratis sepeliantur. *Congr. Episc.* 1617. Neque Parochus intra cui⁹ fines est occisus aliena

Pa-

Parochiæ, aliò transferri illius cadaver prohibeat, nihilq; ideo accipiat, si verò translatio fit cum funere, liberum sit illi uti iure suo. *Mediol.* 4. Anniversaria ne fiant die festo, sed præcedenti, vel sequenti. *Cong. Rit.* 1608. Tolerantur Missæ privatæ de Requiem in festo duplici quod non est de præcepto, pro implenda voluntate testatorum. *Ibid.* 1602. In altari pro certis diebus privilegiato non potest dici Missa de Requiem in festo duplici de præcepto. *Ibid.* 1617. Quibus diebus prohibetur fieri de festo duplici, non debent dici Missæ de Requiem. *Ibid.* Parochus non potest plùs recipere pro tumulandis exteris quàm pro civibus. *Congr. Conc.* 1617. Si deponantur in Parochiali, ut inde transferantur ad Ecclesiam Regularium in qua elegerunt sepulturam, nihil debetur Ecclesiæ Parochiali, exceptis iuribus Parochialibus. *Congr. Rit.* 1619.

106. *In celebratione Missarum* tollantur omnia, quæ avaritiam, irreverentiam, superstitionem sapiunt, mercedum, conductionis, puta quidquid pro Missa novis

datur, illiberales eleemosynarum exactiones removeantur, certus numerus Missarum & candelarum. *Trid. sess.* 22. Ne cui vago & ignoto Sacerdoti celebrare liceat. *Ibid.* Neq; in Monialium Ecclesijs celebret quis sine licentia Episcopi sub pœna suspensionis. *Mediol.* 2. Ne detur ampliùs facultas faciendi plures Missas in die quacunq; de causa. *Mediol.* 5. in privatis domibus, aut extra loca designanda & visitanda ab Ordinarijs ne celebretur. *Trid.* 1. *c.* In Infirmaria Monialium ne permittantur celebrari Missæ. *Congr. Episc.* 1605. Anticipata celebratio pro incerto eleemosynam oblaturo prohibita est à Paulo V. Pro stipendio etiam incongruo acceptato pro Missa, ea dicatur integrè & non una pro pluribus stipendijs, sublatis omnibus privilegijs. *Cong. Conc.* 1625. Qui cum certa eleemosyna suscipit Missam celebrandam, eam ne comittat alteri retentâ sibi parte eleemosynæ. *Ibid.* si maior eleemosyna detur ultra taxam, ea tota debetur celebranti. *Ibid.* Testatore non præscribente eleemosynam pro certo numero Missarum

rum, præſcribat Ordinarius. *Ibid.* Qui titulo Beneficij, legati, capellæ, ſalarij, tenetur celebrare, non poteſt eâdem Miſſâ alteri danti eleemoſynam ſatisfaceret. Eleemoſynæ ita accipiantur, ut oneribus anterioribus ſatisfiat, niſi conſentiat in dilationem offerens, prohibentur capſulæ etiam in die omnium Fidelium Defunctorum, hoceſt, ad colligendas incertas eleemoſynas. In altari ſub quo humata ſunt corpora defunctorum, non debet Miſſa celebrari donec aliô transferantur. *Congr. Epiſc.* 1599. Neq; Gloria, neq; Credo dicitur in Miſſa in qua adhibetur color violaceus. *Congr. Rit.* 1607. Excuſat à Reſidentia cauſa inimicitiarum & diſcrimen vitæ, ut poſſit Parochus abeſſe per annum dato Vicario idoneo. *ita Deciſum apud Barboſ. alleg.* 53.

107. Si Parochus *tempore peſtis* velit reſignare non eſt audiendus, Rodriq. Tēpore magnæ Peſtilentiæ ceſſant omnes caſus reſervati, & omnes Sacerdotes etiam non approbati abſolvere poſſunt. *Greg. XIII. Muſica* inſtrumenta abſint à proceſſione. Paulus V. Abſolvere poteſt

Sa-

Sacerdos à casibus Episcopo reservatis si urget necessitas & abest Episcopus. *Trid. sess* 14 *Can.*10. Absolutus ab exigua à casu Bullæ Cænæ incendit in excom. sed non reservatam: *Paulus III constit.* 10. Absolvendi facultas delegata non potest subdelegari. Absolutio à peccatis non potest fieri conditionata. *Mogunt.* 4 *c.* 24. Absolutio quævis extorta non valet, & extorquens excommunicatur. *De ijs quæ, in* 6. *cap. unico.*

108. Baptismus fit in Ecclesia, non domi, non in Oratorio nisi necessitas urgeat, excipiuntur filij Regum & Principum. *Clement de Bapt.* Baptisatus si nullam committit culpam & mortuus, statim ad Regnum cælorum & visionem Dei admittitur. *Eug. IV. in Decr. unico.* Baptisandus renuntiare debet diabolo & pompis eius, & operibus eius: opera autem diaboli sunt peccata gravia, ut homicidia, adulteria &c. quæ diaboli instinctu fiunt. pompæ verò sunt, iactantia, fastus, superbia, elatio &c. *lib* 7. *Constit. Apost. c.* 4. Clerici non possunt tenere canes venaticos. *De Clerico venat. c* 1. non possunt

va-

vacare aucupijs & venationibus. *Later*.4. c. 15. Clerici provocantes se ad magis bibendum, suspendantur ab officijs. *Later*. c. 1. Comam usq; ad aures tondere debent Clerici. *Tolet*. 18. c. 3. Confessarij debent apud se habere tabellam casuum reservatorum Papæ & Episcopo. *Mediol*. 1. p. 2. Ecclesiasticas functiones pro pretio facere est simonia & tenetur in duplo restituere. *De Simonia cap. Audivimus*. Iurare debet Parochus quod nihil pro Parochia solverit. *Mogunt*. c. 4. 91.

109. Missam relegere debet Sacerdos antequam ad altare accedat, & signa præparare ne erret. *Mediol*. 1. p. 2. Missâ dictâ gratiæ sunt agendæ à celebrante. *ibid*. Candelæ extingvendæ non sunt antequam ultimum Evangelium sit completum. *ibid*. Missa dici non potest capite velato. *ibid*. nec sine Ministro. *Leo IV*. nec sine luminibus, nec in calice plumbeo, vitreo, ligneo. *ibid*. nec potest dici à Sacerdote cum baculo accedente ad altare. *Conc. Rom. sub Zach*. Sacerdos in altari

tari nullum expectet, neque introitum Missæ pro aliquo repetat. *Mediol.* 1. Nec possunt plures Missæ ab eodem unâ die dici, sine dispensatione Papæ exceptâ die Nativitatis D, *Mediol.* Missa non dicenda in eo altari, in quo eâ die Episcopus eam dixit. *De consecr. d. 2. c. in altcri.*

110. Prædicator non prædicans semen Verbi Dei, damnatur. *dist.* 43. *p. dispensatio.* privans populum necessarijs, Deum irritat, & Deus illi irascitur. *d* 5. *c. sed illud.* Olim, Prædicatore prædicante qui ab auditorio exibat excommunicabatur. *de consecr. d.* 1. *c. Sacerdotes.* Prædicatores non possunt redarguere aliquem expresso nomine in actu prædicandi sub pæna excommunicationis Papæ reservatæ. *Later.* 5. Regularibus confessi non tenentur eadem confiteri proprio Sacerdoti. *Extra de privileg. c. Inter cunctas*, & satisfaciunt præcepto annuæ confessionis. *Later.* 5. *sess.* 11. Rogationum tempore olim ieiunabatur. *Aurel.* 1. nunc verò ieiunandum non est nisi Mediolani, quia Mediolanenses Quadragesimam incipiunt triduò postquam alij. *Mediol.* 1. *p.* 2.

p. 2. Sacerdos ignorans non excusatur *d. 38. c. Si in laicis* Curati cogendi sunt ad subeunda per seipsos, & non per substitutos ea munera, ad quæ tenentur, tolerandi autē ut per substitutum suppleant in illis tantùm casibus, quibus expressis verbis Canonum, Decretorumq; Concilij permissum eis est, ut per Vicarios, Coadiutores, & substitutos, possint Officio suo fungi. *Apud Barbos. Cong. Trident. Anno* 1591. Ecclesiam novam benedicere, vel pollutam reconciliare spectat ad solum Episcopum. *Congr. Rit. An.*. 1658. Parochiales Ecclesiæ collatæ non servatâ formâ à Conc. Trid. traditâ, vacant, & Sedi Apostolicæ sunt reservatæ. *Pius V. Constit.* 33. Parochi occasione cadaverum in Ecclesijs Regularium sepeliendorum prætendere possunt quartam funeralium ceræ Ecclesiæ Parochiali debitæ. *Congr. Episc.* 1616. Parocho inconsulto, ac sine ejus licentia defuncti possunt sepeliri in Ecclesia in qua elegerunt sepulturam, si requisitus interesse recuset, vel petitam licentiam deneget. *Congr. Rit*, 1629.

III. Parochus qui non resederit in Paro-

rochiali domo, vel alia illi vicina tenetur ad restitutionem fructuum. *Trid. sess.* 23. *c.* 1. *de reform.* Parochus non potest abesse à sua Ecclesia, etiam relicto in ea idoneo Vicario approbato cum congrua mercede, non potest abesse in quam non obtentâ licentiâ. *Congr. Conc. apud Barbos.* Parochi tempore pestis residere omninò tenentur in suis Parochialibus, possunt tamen per alium idoneum Ministrare Sacramenta suis Parochianis peste infectis, Baptismi & Pœnitentiæ, & si non resederint contra eos procedendum est. *Congr. Conc.* 1526. Sacerdos curam animarum gerens, si diebus Dominicis, & aliis solennitatibus non celebret, priùs est monendus, postea procedendum per subtractionem fructuum, demum excommunicandus, si est legitimé impeditus, tunc per alium celebrare debet. *Congr. Conc.* 1600. Sacerdos delinquens in sua Diœcesi, si in alio loco reperiatur, ad suum Ordinarium remitti debet. *Congr. Conc. apud Barbos.* Sacristæ nihil exigere possunt pro benedictione sponsi & sponsæ. *Congr. Rit.* 1606.

Se-

Sepultura mortuorum nullatenùs retardari aut impediri debet ſub quovis prætextu compoſitionis quartæ funeralis *Congr. Epiſc. an.* 1616. Sepulturam licet eligere Parentibus in quacunq; Eccleſia voluerint, etiam Regularium, pro eorum Filijs minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerunt, nec à Parochis locorum impediri poſſunt, aut debent, præſertim ſi in dictis Regularium Eccleſijs ſepeliri conſveverunt, vel in eis habeant ſepulchrum Maiorum, *Congr. Reg. An.* 1640.

112. Subdiaconi officium exerceri non poteſt à Clerico in minoribus conſtituto, quamvis ſit penuria Subdiaconorum & conſvetudo. *Congr. Rit-* 1601. Poteſt Clerico in Minoribus conſtituto committi ab Epiſcopo munus prædicandi, ſed non laico. *Barboſſ. in Trid. ſeſſ* 5. *de ref.* Parochi per ſeipſos inter Miſſarum ſolennia concionem habere poſſunt, etiam quando Epiſcopus ipſe prædicat. *ibid.* Debent prædicare Dominicis & feſtis ſolennibus; veniale, ſi omittant aliquando. *ibid.* Doctor, aut Licentiatus

in

in Theologia vel iure Canonico, & in publica Vniversitate graduatus, quando petit provideri de aliqua Ecclesia Parochiali non excusatur ab Examine. *Barbos. ad sess.* 7. *Trid. de ref. c.* 13. Non solùm in absentia proprij Sacerdotis, aut Superioris, verùm etiam quando adest, vel ad illum haberi potest recursus, cùm in articulo mortis nulla sit reservatio, potést à quibuslibet peccatis & censuris quilibet Sacerdos etiam censuratus, degradatus absolvere, nec pro hoc novam censuram incurret, & est vera absolutio, nec si infirmus convalescat, debebit iterũ absolvi à peccatis. Id ad sess. 14. can. 7. Possunt Religiosi administrare Extremam Vnctionem cum ratishabitione Parochi vel in casu necessitatis ipso absente & quivis Sacerdos dum non sit excommunicatus aut suspensus, si Parochus non possit, aut per manifestam iniuriam nolit. *Ibid. ad sess.* 24. Imperitis Parochis non potest deputari Coadiutor nisi ab Episcopo, & talis tenetur ad residentiam sicut Parochus, & Parochus non potest abesse à residentia. *Trid. sess.* 2. *de refor. c.* 8.

113. Sacerdoti licet de iuſto ſtipendio pro Miſſis ad ſui ſuſtentationem paciſci, dummodò expreſſè declaret ſe non pro Miſſæ officio, ſed pro neceſſaria ſuſtentatione, ſe illud exigere; meliùs tamen ſi ab hoc pacto abſtineat, ſi non tot Miſſas celebret pro quot accepit, & peccat graviter, & reſtituere tenetur, idq; debet eam Miſſam celebrare quæ petitur. Qui obligatus celebrare ratione Beneficij, capellæ, legati, ſalarij, per eandem Miſſam non poteſt ſatisfacere dato ſtipendio non poteſt ſibi partem retinere, & alteri loco ſui celebraturo partem dare. Non poteſt per unam Miſſam duobus ſtipendijs ſatisfacere. Si det Parochus alteri ut pro eo Miſſam celebret, non plùs quàm ſolitum ſtipendium dare tenetur. non poteſt concedi ut domi locum honeſtum habeat in quo celebret Miſſas duas ut celebret die feſto in defectu Sacerdotum, poteſt concedere Epiſcopus: ſed non poteſt concedere ut cum pileolo quis celebret. *Barboſſ. ad Trid. ſeſſ. 23. cap. 8.*

114. Aquæ benedictæ fuit uſus in Eccle-

clesia primitiva. invenimus mentionem ipsius apud S. Clementem Martyrem & Pontificem discipulum S. Petri, & apud successorem illius & Martyrem Pontificem Alexandrum, qui etiam modum huius aquæ benedictæ præscripsit, de qua re frequenter in Chronicis Ecclesiasticis. Fructus huius aquæ, reprimere vires diabolorum, per illam remittuntur peccata venialia iuxta dispositionem hominis, adiuvat etiam contra infirmitates corporis, purgat àërem contagiosum, promovet abundantiam temporalium, ut frumenti: purificat & dispellit tenebras mentis nostræ, recolligit nos; præparat mentem ad puritatem orationis, adiuuat nostram debilitatem ad bene operandum & fructuosè recipienda Sacramenta, quæ omnia Divina misericordia per hoc operatur elementum, dum nos peccatis nostris hos non impediamus fructus, aut Deus illos propter suas occultas rationes non suspendat. Cùm quis utitur istâ aquâ addat actum amoris Dei vel doloris de peccatis, aut devotionis erga Divinas cum reverentia interna & externa, & quan-

quantò maiores fuerint hi actus tantò maiores effectus producet ista aqua. Dum quis se istâ aquâ aspergit, poterit vti verbis S. Scripturæ & alijs *Psalm.* 50. *Asperges me Domine & lavabor. Math.* 20. *Munda priùs quod intus est.* Eccl. 18. *Ab occultis meis munda me Domine* Eccl. 28. *Ab omni delicto munda cor meum. Aqua benedicta sit mihi salus & vita. Aqua benedicta deleantur mea delicta.* Poterit etiã considerare mysterium Baptismi, & aquam illam quæ prodiit de latere Christi ut Deus suam benedictionem isti aquæ adiungat. *Ex charta impressa Neapol. Anno* 1631.

115. *Interdicto* subiacet de facto omnis cætus, in quo Ecclesiastici compelluntur ad solvenda pedagia, vel alia per se, vel alium de rebus suis quas non deferunt causâ negociationis. *Sylv. V. Interd.* Tempore interdicti possunt quotidie celebrari Missæ & Officia Divina submissâ voce, ianuis clausis, non pulsatis campanis, interdictis & excommunicatis exclusis. sed hoc non valet in interdicto populi, vel Vniversitatis non expresso

lato in ſententia. neq; in Eccleſia, vel Monaſterio ſpecialiter interdicto. In feſto Natiuitatis.

Die Reſurrectionis, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. V. & Corporis Chriſti cum Octaua pulſantur campanæ, & ianuis apertis, & voce clara celebrantur Diuina, admiſſis interdictis, non tamen illis quorum cauſa latum eſt interdictum ne appropinquent altari. necSacramenta miniſtrari poſſunt. & de Feſtis intelligitur à primis veſperis ad ſecundas. In prædictis feſtis poteſt Epiſcopus altaria & Virgines conſecrare, calices, vela imponere Monialibus, paramenta, aquam, benedicere. Abbates & huiuſmodi, item Sacerdos poteſt benedicere ſponſos, aquam, candelas, palmas, niſi ipſe ſit interdictus. ſed benedictionem Sponſæ tantùm in feſto Aſſumptionis B. V. & Corporis Chriſti. non in alijs. & in his feſtis quod concedatur ſepultura, eſt probabile. Extra prædicta feſta prohibentur exercitia cuiuſvis Ordinis, celebratio Diuinorum, adminiſtratio Sacramentorum, collatio Ordinum, Eccleſiaſtica ſepul-

pultura cum officio, pulſatio campanarum, apertio ianuarum, Miſſa etiam ſicut oratio privata in Eccleſia non prohibetur, etiamſi orationes ſint interdictæ vel interdicta Eccleſia. Prædicatio fieri poteſt etiam pulſatis campanis, pulſari poteſt pro Ave Maria. Baptiſmus poteſt conferri cum Catechiſmo, & Pænitentia. Poteſt viaticum deferri ad infirmos cum campanula & lumine, & ad damnatos ad mortem, ſed non alijs. Sed poteſt dari prægnantibus in periculo. *Hæc omnia ex Sylv.*. Poſt partum introduci poſſunt ſine ſtola *Nav. in Man. c.* 413. & Matrimonium poteſt fieri ſine benedictione nuptiali. *Sylv.* Extrema vnctio prohibetur, ſed non commendatio animæ. Laici etiam pænitentes debent ſepeliri in loco non Sacro ſine officio, depoſiti, & poſt interdictum transferri poterunt in locum Sacrum & quidem ſolenniter. Clericis non interdictis & interdictum ſervantibus non conceditur ſepultura cum ſilentio, cum officio ſine cantu, vel in Eccleſia propria vel in aliena. Violantes interdictum complendo actum cele-

brando Divina, fiunt irregulares *Ibid.*

De Ecclesia polluta passim scribunt Casistæ, ideo ad illos remitto.

116. In fine de ipsis Ecclesiæ statutis ex quibus hoc confecimus opusculum apponamus. *Quæ Romana Ecclesia pro Catholica fide, pro Sacris dogmatibus, pro variis & multifariis Ecclesiæ necessitatibus, & Fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorsus, in quibuslibet opportunitatibus. discretione vel dispensatioue magistrâ revertenter assumi.* Nicolaus Papa in cap. Si Romanorum dist. 19. Constitutiones Ecclesiasticæ iuxta Glossam dist. 3. in summa ita distinguuntur *Canon.* vocatur propriè constitutum à Concilio universali. *Decretum* quod Papa statuit cum Consilio Cardinalium. *Decretalis Epistola* est quam format Pontifex vel solus vel cum Cardinalibus ad consultationem alicuius. *Dogma* elicitur quod tradit doctrinam Fidei Christianæ. *Mandatum* quod versatur circa mores. *Interdictum* est quod prohibet aliquid sub pæna. *Sanctio* certam pænam irrogat non obtemperantibus. *Bullæ*

cùm

cùm literæ plenam rei seriem continent. signantur appenso plumbo cum effigie SS. Petri & Pauli. *Brevia* succinctè paucis verbis expediuntur & signantur annulo Piscatoris in cera rubea. *Cherub. sub Bulla Greg. XIII in Scholio* At verò *Motus, proprius* quando Papa statuit nullius interveniente consilio, suasu, vel petitione. *Val. in tit. de Constit.* Aliæ constitutiones sunt *Præceptivæ* & colliguntur ex verbis præceptum sonantibus, tum ex materia constitutionis, tum ex pænis adiunctis, quibus omnibus consideratis si adhuc maneat dubium an sit præceptiva, tenendum eam non esse præceptivam, verba, *Volumus, decernimus, statuimus, monemus, hortamur, intendimus, sancimus,* communiter subsunt tam præcepto quàm directioni seu consilio. *Palma de leg. disp. 1. puncto 9. & alij.* Graviter præceptivarum cognoscitur. 1. ex materia & fine constitutionis proximo, si finis est magni momenti actio, preces, quæ plurimum conducit ad illum, graviter obligat. *Suar. 3. de leg. cap. 2.* Colligitur & ex verbis, si valdè aggravent, ut cum dicitur, *In*

vir-

virtute S. Obedientiæ præcipitur. sub interterminatione Diuini Iudicii, vel Divinæ aut SS. Apostolorum indignationis. vel strictè mandamus aut inhibemus. Quando autem simpliciter dicitur. *Præcipimus, mandamus, prohibemus &c.* attendendum est ad materiam & finem legis. & hæc signa. 1. si communiter teneant Doctores graviter obligare. si pænæ graves sunt appositæ ut excommunicatio latæ sententiæ, hæc arguunt præceptum esse sub mortali. *Soar. 4. de leg. c. 18.* Quando excommunicatio maior adiuncta est sed non latæ verùm ferendæ sententiæ, & adiungitur *nullâ præmissâ monitione*, obligat sub mortali: si autem *post unam vel plures monitiones*, probabilius est quòd non obliget sub mortali. *Palao disp. 1. de Leg. punct. 15. n. 3.* Excommunicatio minor quia subinde incurritur ob venialem culpam, non est certum signum gravis obligationis *Sanchez lib. 6. in Decal. c. 4. Suspensio, Interdictum, & Irregularitas* quando habent rationem censuræ & ita fertur ut ipso facto incurrantur obligant sub mortali, secùs si sint ferendæ sententiæ. *Suspe-*
siones